FLORILEGIUM PATRISTICUM

DIGESSIT VERTIT ADNOTAVIT

GERARDUS RAUSCHEN
DR. THEOL. ET PHIL., SS. THEOLOGIAE IN UNIVERSITATE BONNENSI
PROF. P. E.

FASCICULUS VII

MONUMENTA EUCHARISTICA ET LITURGICA VETUSTISSIMA

BR
63
F4
v.7
GTU

BONNAE
SUMPTIBUS PETRI HANSTEIN
MCMIX

In meinem Verlage ist erschienen:

Florilegium patristicum

digessit vertit adnotavit **Gerardus Rauschen**. Fasc. I: Monumenta aevi apostolici (p. 89) 1904 ℳ 1.20, kart. 1.40. — Fasc. II: S. Iustini apologiae duae (p. 101), 1904 ℳ 1.50, kart. 1,70. — Fasc. III: Monumenta minora saeculi secundi (p. 106) 1905, ℳ 1.50, kart. 1.70. — Fasc. IV: Tertulliani liber de praescriptione haereticorum (p. 69) 1906, ℳ 1.—; kart. 1.20. — Fasc. V: Vincentii Lerinensis Commonitoria (p. 71) 1906, ℳ 1.20, kart. 1.40. — Fasc. VI: Tertulliani Apologetici recensio nova (p. 142) 1906, ℳ 1.80, kart. 2.—. — Fasc. VII: Monumenta eucharistica et liturgica vetustissima (p. 170) 1909, ℳ 2.40, kart. 2.60.

Das Unternehmen verdankt sein Entstehen einer besondern Anregung Sr. Eminenz des Herrn Kardinals Fischer. Die griechischen Texte sind mit nebenstehender lateinischer Übersetzung und ausserdem, wie auch die lateinischen Texte, mit erklärenden Anmerkungen versehen; einzelne Hefte, namentlich das 3.–6., bieten ganz neue Texte und dazu einen kritischen Apparat.

Das *1. Heft* enthält eine Auswahl aus den apostolischen Vätern, nämlich vollständig die Lehre der zwölf Apostel, den Römerbrief des Ignatius und das Martyrium Polycarpi, dann die schönsten Kapitel aus dem Briefe an Diognet und die für die Dogmengeschichte wertvollsten Stücke aus den andern Schriften. — Das *2. Heft* enthält den vollständigen griechischen Text der beiden Apologien Iustins, die wichtigere Hälfte derselben mit lateinischer Übersetzung. — Im *3. Heft* stehen vollständig: das Muratorische Fragment, die sog. Logia Jesu, das 1892 aufgefundene grössere Bruchstück aus dem Petrusevangelium und ausgewählte Stücke aus dem Protevangelium des Jakobus, ferner die Aberkiosinschrift und einzelne griechische Märtyrerakten, besonders die neuentdeckten des Apollonius. — Das *4. Heft* bringt Tertullians dogmatisch wichtigste Schrift De praescriptione in neuer Textesrezension und im Anhang Irenaeus adv. haer. III 3—4. — Das *5. Heft* bietet die Commonitoria des Vinzenz; die vier vorhandenen Handschriften wurden für diese Ausgabe neu verglichen. — Für die Ausgabe von Tertullians Apologetikum im *6. Heft* wurden die Pariser Handschriften und die Handschrift von Montpellier neu verglichen und namentlich die Varianten des verlorenen codex Fuldensis genau untersucht; so ist ein ganz neuer Text entstanden. — Das *7. Heft*, das umfangreichste von allen, enthält 11 Schriftstücke aus den vier ersten Jahrhunderten, die sich auf die Sakramente und besonders die hl. Eucharistie beziehen, darunter vollständig die mystagogischen Katechesen Cyrills, die Schrift des Ambrosius De mysteriis und Ps.-Ambrosius de sacramentis; angehängt sind 36 kleinere Zitate aus Schriften der drei ersten Jahrhunderte.

FLORILEGIUM PATRISTICUM

#13,786

DIGESSIT VERTIT ADNOTAVIT

GERARDUS RAUSCHEN
DR. THEOL. ET PHIL., SS. THEOLOGIAE IN UNIVERSITATE BONNENSI
PROF. P. E.

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

FASCICULUS VII

MONUMENTA EUCHARISTICA ET LITURGICA VETUSTISSIMA

BIBL. STUD.
O. F. M.
CALIFORNIA

BONNAE
SUMPTIBUS PETRI HANSTEIN
MCMIX

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
LIBRARY
1962

BV
1[illegible]5
m6
BR
63
F4
v. 7

J. nr. 6707.

Imprimi permittitur.

Coloniae, die 24. m. Decembris 1908.

Dr. Kreutzwald
Vicarius Archiēpi Generalis.

Alle Rechte vorbehalten.

Typis Caroli Georgi typographi academici.

Variis iisque necessariis occupationibus meis factum est, ut hic fasciculus septimus Florilegii duobus demum annis mensibusque sex post sextum in lucem prodeat. Continentur hoc volumine monumenta ad ss. eucharistiam vel liturgiam spectantia, quae ex quattuor prioribus saeculis ad nos usque pervenerunt; in fine libri insigniores loci breves eucharistici ex scriptoribus antenicaenis congesti leguntur. Omnes textus ex editionibus optimis immutatas adsumpsi; at catecheses s. Cyrilli mystagogicas ex editionibus novissimis ipse refinxi. Prolegomena, quae in prioribus fasciculis primum locum obtinent, in hoc fasciculo singulis scriptis suo loco praemittuntur.

Scripsi Bonnae kalendis Ianuariis MCMIX.

ARGUMENTUM

pag.

I. Testimonia sacrae scripturae 1
a) Ioh. 6, 15—70 1
b) Matth. 26, 26—29; Marc. 14, 22—25; Luc. 22, 17—20 7
c) 1 Cor. 11, 20—34 8
II. Didache c. 9 et 10 10
III. S. Iustini apologia I 65—67 13
IV. Epitaphium Abercii 17
V. Epitaphium Pectorii 19
VI. Ordo synaxis christianae ex Didascalia II 57 21
VII. Canon seu anaphora Serapionis
prolegomena 23
textus 25
VIII. S. Cyrilli catecheses mystagogicae
prolegomena 29
textus 32
IX. S. Ambrosii liber de mysteriis
prolegomena 73
textus 74
X. Ps.-Ambrosii de sacramentis libri sex
prolegomena 92
textus 94
XI. Liturgia quae dicitur Clementina
(Const. apost. VIII 11, 7—15, 11).
prolegomena 131
textus 132
XII. Loci eucharistici breviores (usque ad a. 300)
1. Didache c. 14 156
2. Clemens Rom., ep. 1 ad Cor. 34, 5—7 157
3. Ignatius Ant. (Eph. 13 et 20, 2; Phil. 4; Rom. 7, 3; Smyrn. 7, 1 et 8) 157
4. Iustinus (dial. 41 et 117) 159
5. Irenaeus (adv. haer. IV 17, 5; 18, 4—5; V 2, 2—3) 160
6. Clemens Alex. (paed. I 6; II 2) 162
7. Origenes (c. Cels. VIII 33; hom. 19 in Lev. 18, 13; in Matth. tom. XI 14; in Ioh. tom. XIII 30; in Num. hom. 7, 2; in ps. 37 hom. 2, 6; in Ex. hom. 13, 3; in Matth. ser. 85; in Num. hom. 16, 9) 164
8. Dionysius Corinth. (Eus. h. l. VII 9, 4) 167
9. Hippolytus 167
10. Tertullianus (de or. 6 et 19; de idol. 7; de res. carn. 8; adv. Marc. IV 40) 168
11. Cyprianus (de dom. or. 18; ep. 63, 2. 9. 11) . . . 169

I. TESTIMONIA SACRAE SCRIPTVRAE [1].

a) *Ioh. 6, 15—70.*

Ἰησοῦς οὖν γνούς, ὅτι μέλλουσιν ἔρχεσθαι καὶ ἁρπάζειν αὐτόν, ἵνα ποιήσωσιν βασιλέα, ἀνεχώρησεν πάλιν εἰς τὸ ὄρος αὐτὸς μόνος (15). *Ὡς δὲ ὀψία ἐγένετο, κατέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπὶ τὴν θάλασσαν* (16), *καὶ ἐμβάντες εἰς πλοῖον ἤρχοντο πέραν τῆς θαλάσσης εἰς Καφαρναούμ. Καὶ σκοτία ἤδη ἐγεγόνει καὶ οὔπω ἐληλύθει πρὸς αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς* (17), *ἥ τε θάλασσα ἀνέμου μεγάλου πνέοντος διεγείρετο* (18). *Ἐληλακότες οὖν ὡς σταδίους εἴκοσι πέντε ἢ τριάκοντα θεωροῦσιν τὸν Ἰησοῦν περιπατοῦντα ἐπὶ τῆς θαλάσσης καὶ ἐγγὺς τοῦ πλοίου γινόμενον καὶ ἐφοβήθησαν* (19). *Ὁ δὲ λέγει αὐτοῖς· Ἐγώ εἰμι, μὴ φοβεῖσθε* (20). *Ἤθελον οὖν λαβεῖν αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον, καὶ εὐθέως ἐγένετο τὸ πλοῖον ἐπὶ τῆς γῆς, εἰς ἣν ὑπῆγον* (21).

Iesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus (15). Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare (16), et cum adscendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum. Et tenebrae iam factae erant et non venerat ad eos Iesus (17), mare autem, vento magno flante, exurgebat (18). Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Iesum ambulantem supra mare et proximum navi fieri et timuerunt (19). Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere (20). Voluerunt ergo accipere eum in navim, et statim navis fuit ad terram, in quam ibant (21).

[1] Textum graecum et latinum novi testamenti mutuatus sum ex editione Nestle, Stuttg. 1906.

Τῇ ἐπαύριον ὁ ὄχλος ὁ ἑστηκὼς πέραν τῆς θαλάσσης εἶδον, ὅτι πλοιάριον ἄλλο οὐκ ἦν ἐκεῖ εἰ μὴ ἕν, καὶ ὅτι οὐ συνεισῆλθεν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸ πλοῖον, ἀλλὰ μόνοι οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἀπῆλθον (22)· *ἄλλα ἦλθεν πλοιάρια ἐκ Τιβεριάδος ἐγγὺς τοῦ τόπου, ὅπου ἔφαγον τὸν ἄρτον εὐχαριστήσαντος τοῦ κυρίου* (23). *Ὅτε οὖν εἶδεν ὁ ὄχλος, ὅτι Ἰησοῦς οὐκ ἔστιν ἐκεῖ οὐδὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, ἐνέβησαν αὐτοὶ εἰς τὰ πλοιάρια καὶ ἦλθον εἰς Καφαρναοὺμ ζητοῦντες τὸν Ἰησοῦν* (24). *Καὶ εὑρόντες αὐτὸν πέραν τῆς θαλάσσης εἶπον αὐτῷ· Ῥαββεί, πότε ὧδε γέγονας* (25); *Ἀπεκρίθη αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς καὶ εἶπεν· Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ζητεῖτέ με, οὐχ ὅτι εἴδετε σημεῖα, ἀλλ' ὅτι ἐφάγετε ἐκ τῶν ἄρτων καὶ ἐχορτάσθητε* (26). *Ἐργάζετε μὴ τὴν βρῶσιν τὴν ἀπολλυμένην, ἀλλὰ τὴν βρῶσιν τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον, ἣν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑμῖν δώσει* (27)· *τοῦτον γὰρ ὁ πατὴρ ἐσφράγισεν ὁ θεός. Εἶπον οὖν πρὸς αὐτόν· Τί ποιῶμεν, ἵνα ἐργαζώμεθα τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ* (28); *Ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Τοῦτό ἐστιν τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ, ἵνα πιστεύητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος* (29). *Εἶπον οὖν αὐτῷ· Τί οὖν ποιεῖς σὺ*

Altera die turba, quae stabat trans mare, vidit, quia navicula alia non erat ibi nisi una, et quia non introisset cum discipulis suis Iesus in navim, sed soli discipuli eius abiissent (22); aliae vero supervenerunt naves a Tiberiade iuxta locum, ubi manducaverant panem, gratias agente domino (23). Cum ergo vidisset turba, quia Iesus non esset ibi neque discipuli eius, adscenderunt in naviculas et venerunt Capharnaum quaerentes Iesum (24). Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti (25)? Respondit eis Iesus et dixit: Amen amen dico vobis, quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus et saturati estis (26). Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem filius hominis dabit vobis (27); hunc enim pater signavit deus. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera dei (28)? Respondit Iesus et dixit eis: Hoc est opus dei, ut credatis in eum, quem misit ille (29). Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi? quid operaris (30)? Patres nostri

σημεῖον, ἵνα ἴδωμεν καὶ πιστεύσωμέν σοι; τί ἐργάζῃ (30); *Οἱ πατέρες ἡμῶν τὸ μάννα ἔφαγον ἐν τῇ ἐρήμῳ, καθώς ἐστιν γεγραμμένον· Ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἔδωκεν αὐτοῖς φαγεῖν* (31 [ps. 77, 24]).

Εἶπεν οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ Μωϋσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, ἀλλ' ὁ πατήρ μου δίδωσιν ὑμῖν τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ τὸν ἀληθινόν (32). *Ὁ γὰρ ἄρτος τοῦ θεοῦ ἐστιν ὁ καταβαίνων ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καὶ ζωὴν διδοὺς τῷ κόσμῳ* (33). *Εἶπον οὖν πρὸς αὐτόν· Κύριε, πάντοτε δὸς ἡμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον* (34). *Εἶπεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς· ὁ ἐρχόμενος πρὸς ἐμὲ οὐ μὴ πεινάσῃ καὶ ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ οὐ μὴ διψήσει πώποτε* (35). *Ἀλλ' εἶπον ὑμῖν, ὅτι καὶ ἑωράκετέ* [*με*] *καὶ οὐ πιστεύετε* (36). *Πᾶν, ὃ δίδωσίν μοι ὁ πατήρ, πρὸς ἐμὲ ἥξει, καὶ τὸν ἐρχόμενον πρός με οὐ μὴ ἐκβάλω ἔξω* (37), *ὅτι καταβέβηκα ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, οὐχ ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμόν, ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με* (38). *Τοῦτο δέ ἐστιν τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, ἵνα πᾶν, ὃ δέδωκέν μοι, μὴ ἀπολέσω ἐξ αὐτοῦ, ἀλλὰ ἀναστήσω αὐτὸ ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ* (39). *Τοῦτο*

manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: *Panem de caelo dedit eis manducare* (31).

Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de caelo, sed pater meus dat vobis panem de caelo verum (32). Panis enim dei est, qui de caelo descendit et dat vitam mundo (33). Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc (34). Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis vitae: qui venit ad me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam (35). Sed dixi vobis, quia et vidistis me et non creditis (36). Omne, quod dat mihi pater, ad me veniet, et eum, qui venit ad me, non eiciam foras (37), quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me (38). Haec est autem voluntas eius, qui misit me, patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die (39). Haec est autem voluntas patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt filium et credit in eum, habeat

γάρ ἐστιν τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου, ἵνα πᾶς ὁ θεωρῶν τὸν υἱὸν καὶ πιστεύων εἰς αὐτὸν ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον, καὶ ἀναστήσω αὐτὸν ἐγὼ ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ (40).

Ἐγόγγυζον οὖν οἱ Ἰουδαῖοι περὶ αὐτοῦ, ὅτι εἶπεν· ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ καταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ (41), καὶ ἔλεγον· Οὐχ οὗτός ἐστιν Ἰησοῦς ὁ υἱὸς Ἰωσήφ, οὗ ἡμεῖς οἴδαμεν τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα, πῶς νῦν λέγει, ὅτι ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβέβηκα (42); Ἀπεκρίθη Ἰησοῦς καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Μὴ γογγύζετε μετ' ἀλλήλων (43). Οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με, ἐὰν μὴ ὁ πατὴρ ὁ πέμψας με ἑλκύσῃ αὐτόν, κἀγὼ ἀναστήσω αὐτὸν ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ (44). Ἔστιν γεγραμμένον ἐν τοῖς προφήταις· Καὶ ἔσονται πάντες διδακτοὶ θεοῦ (Is. 54, 13; Ier. 31, 34)· πᾶς ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ μαθὼν ἔρχεται πρὸς ἐμέ (45). Οὐχ ὅτι τὸν πατέρα ἑώρακέν τις, εἰ μὴ ὁ ὢν παρὰ τοῦ θεοῦ, οὗτος ἑώρακεν τὸν πατέρα (46). Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὁ πιστεύων ἔχει ζωὴν αἰώνιον (47). Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς (48). Οἱ πατέρες ὑμῶν ἔφαγον ἐν τῇ ἐρήμῳ τὸ μάννα καὶ ἀπέθανον (49)· οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβαίνων, ἵνα τις ἐξ αὐτοῦ φάγῃ καὶ μὴ ἀποθάνῃ

vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die (40).

Murmurabant ergo Iudaei de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi (41), et dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de caelo descendi (42)? Respondit ergo Iesus et dixit eis: Nolite murmurare in invicem (43). Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum, et ego resuscitabo eum in novissimo die (44). Est scriptum in prophetis: *Et erunt omnes docibiles dei.* Omnis, qui audivit a patre et didicit, venit ad me (45). Non quia patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a deo, hic vidit patrem (46). Amen amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam aeternam (47). Ego sum panis vitae (48). Patres vestri manducaverunt manna in deserto et mortui sunt (49). Hic est panis de caelo descendens, ut, si quis ex ipso manducaverit, non moriatur (50). Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi; si quis man-

(50). *Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος ὁ ζῶν ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς· ἐάν τις φάγῃ ἐκ τούτου τοῦ ἄρτου, ζήσει εἰς τὸν αἰῶνα· καὶ ὁ ἄρτος δέ, ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μού ἐστιν ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς* (51).

ducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum, et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita (51).

Ἐμάχοντο οὖν πρὸς ἀλλήλους οἱ Ἰουδαῖοι λέγοντες· Πῶς δύναται οὗτος ἡμῖν δοῦναι τὴν σάρκα φαγεῖν (52); *Εἶπεν οὖν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς· Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς* (53). *Ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα καὶ πίνων μου τὸ αἷμα ἔχει ζωὴν αἰώνιον, κἀγὼ ἀναστήσω αὐτὸν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ* (54). *Ἡ γὰρ σάρξ μου ἀληθής ἐστιν βρῶσις καὶ τὸ αἷμά μου ἀληθής ἐστιν πόσις* (55). *Ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα καὶ πίνων μου τὸ αἷμα ἐν ἐμοὶ μένει κἀγὼ ἐν αὐτῷ* (56). *Καθὼς ἀπέστειλέν με ὁ ζῶν πατὴρ κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα, καὶ ὁ τρώγων με κἀκεῖνος ζήσει δι' ἐμέ* (57). *Οὗτός ἐστιν ὁ ἄρτος ὁ ἐξ οὐρανοῦ καταβάς, οὐ καθὼς ἔφαγον οἱ πατέρες καὶ ἀπέθανον· ὁ τρώγων τοῦτον τὸν ἄρτον ζήσει εἰς τὸν αἰῶνα* (58).

Litigabant ergo Iudaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum (52)? Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis (53). Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die (54). Caro enim mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus (55). Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo (56). Sicut misit me vivens pater et ego vivo propter patrem, et qui manducat me et ipse vivet propter me (57). Hic est panis, qui de caelo descendit, non sicut manducaverunt patres vestri manna et mortui sunt; qui manducat hunc panem, vivet in aeternum (58).

Ταῦτα εἶπεν ἐν συναγωγῇ διδάσκων ἐν Καφαρναούμ (59). *Πολ-*

Haec dixit in synagoga docens in Capharnaum (59). Multi

λοὶ οὖν ἀκούσαντες ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ εἶπαν· Σκληρός ἐστιν ὁ λόγος οὗτος, τίς δύναται αὐτοῦ ἀκούειν (60); Εἰδὼς δὲ ὁ Ἰησοῦς ἐν ἑαυτῷ, ὅτι γογγύζουσιν περὶ τούτου οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, εἶπεν αὐτοῖς· Τοῦτο ὑμᾶς σκανδαλίζει (61); Ἐὰν οὖν θεωρῆτε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἀναβαίνοντα, ὅπου ἦν τὸ πρότερον (62); Τὸ πνεῦμά ἐστιν τὸ ζωοποιοῦν, ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν· τὰ ῥήματα, ἃ ἐγὼ λελάληκα ὑμῖν, πνεῦμά ἐστιν καὶ ζωή ἐστιν (63). Ἀλλ' εἰσὶν ἐξ ὑμῶν τινες, οἳ οὐ πιστεύουσιν. Ἤιδει γὰρ ἐξ ἀρχῆς ὁ Ἰησοῦς, τίνες εἰσὶν οἱ μὴ πιστεύοντες καὶ τίς ἐστιν ὁ παραδώσων αὐτόν (64). Καὶ ἔλεγεν· Διὰ τοῦτο εἴρηκα ὑμῖν, ὅτι οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ πατρός (65).

ergo audientes ex discipulis eius dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire (60)? Sciens autem Iesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat (61)? Si ergo videritis filium hominis adscendentem, ubi erat prius (62)? Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quicquam; verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt (63). Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum (64). Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a patre meo (65).

Ἐκ τούτου πολλοὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω καὶ οὐκέτι μετ' αὐτοῦ περιεπάτουν (66). Εἶπεν οὖν ὁ Ἰησοῦς τοῖς δώδεκα· Μὴ καὶ ὑμεῖς θέλετε ὑπάγειν (67); Ἀπεκρίθη αὐτῷ Σίμων Πέτρος· Κύριε, πρὸς τίνα ἀπελευσόμεθα; Ῥήματα ζωῆς αἰωνίου ἔχεις (68), καὶ ἡμεῖς πεπιστεύκαμεν, καὶ ἐγνώκαμεν, ὅτι σὺ εἶ ὁ ἅγιος τοῦ θεοῦ (69).

Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro et iam non cum illo ambulabant (66). Dixit ergo Iesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire (67)? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes (68), et nos credidimus et cognovimus, quia tu es Christus filius dei (69).

b) *Matth. 26, 26—29; Marc. 14, 22—25; Luc. 22, 17—20.*

Ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν λαβὼν ὁ Ἰησοῦς ἄρτον καὶ εὐλογήσας ἔκλασεν καὶ δοὺς τοῖς μαθηταῖς εἶπεν· Λάβετε φάγετε· τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου (Matth. 26, 26). Καὶ λαβὼν ποτήριον καὶ εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς λέγων· Πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες (27)· τοῦτο γάρ ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυννόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν (28). Λέγω δὲ ὑμῖν, οὐ μὴ πίω ἀπ' ἄρτι ἐκ τούτου τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ὅταν αὐτὸ πίνω μεθ' ὑμῶν καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρός μου (29).

Καὶ ἐσθιόντων αὐτῶν λαβὼν ἄρτον εὐλογήσας ἔκλασεν καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς καὶ εἶπεν· Λάβετε· τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου (Marc. 14, 22). Καὶ λαβὼν ποτήριον εὐχαριστήσας ἔδωκεν αὐτοῖς, καὶ ἔπιον ἐξ αὐτοῦ πάντες (23). Καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Τοῦτό ἐστιν τὸ αἷμά μου τῆς διαθήκης τὸ ἐκχυννόμενον ὑπὲρ πολλῶν (24). Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐκέτι οὐ μὴ πίω ἐκ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ὅταν αὐτὸ πίνω καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ (25).

Καὶ δεξάμενος ποτήριον εὐχαριστήσας εἶπεν· Λάβετε τοῦτο καὶ

Cenantibus autem eis, accepit Iesus panem et benedixit ac fregit, deditque discipulis suis et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum (Matth. 26, 26). Et accipiens calicem gratias egit et dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes (27). Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum (28). Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno patris mei (29).

Et manducantibus illis, accepit Iesus panem et benedicens fregit et dedit eis et ait: Sumite, hoc est corpus meum (Marc. 14, 22). Et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes (23). Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur (24). Amen dico vobis, quia iam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno dei (25).

Et accepto calice, gratias egit et dixit: Accipite et dividite

διαμερίσατε εἰς ἑαυτούς (Luc. 22, 17). Λέγω γὰρ ὑμῖν, οὐ μὴ πίω ἀπὸ τοῦ νῦν ἀπὸ τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου, ἕως οὗ ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ ἔλθῃ (18). Καὶ λαβὼν ἄρτον εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς, λέγων· Τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν (19). Καὶ τὸ ποτήριον ὡσαύτως μετὰ τὸ δειπνῆσαι, λέγων· Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυννόμενον (20).

inter vos (Luc. 22, 17). Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum dei veniat (18). Et accepto pane, gratias egit et fregit et dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; hoc facite in meam commemorationem (19). Similiter et calicem, postquam cenavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur (20).

c) *1 Cor. 11, 20—34.*

Συνερχομένων οὖν ὑμῶν ἐπὶ τὸ αὐτὸ οὐκ ἔστιν κυριακὸν δεῖπνον φαγεῖν (20)· ἕκαστος γὰρ τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει ἐν τῷ φαγεῖν, καὶ ὃς μὲν πεινᾷ, ὃς δὲ μεθύει (21). Μὴ γὰρ οἰκίας οὐκ ἔχετε εἰς τὸ ἐσθίειν καὶ πίνειν; ἢ τῆς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ καταφρονεῖτε καὶ καταισχύνετε τοὺς μὴ ἔχοντας; Τί εἴπω ὑμῖν; ἐπαινέσω ὑμᾶς; ἐν τούτῳ οὐκ ἐπαινῶ (22).

Convenientibus ergo vobis in unum, iam non est dominicam cenam manducare (20); unusquisque enim suam cenam praesumit ad manducandum, et alius quidem esurit, alius autem ebrius est (21). Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum? aut ecclesiam dei contemnitis et confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? laudo vos? in hoc non laudo (22).

Ἐγὼ γὰρ παρέλαβον ἀπὸ τοῦ κυρίου, ὃ καὶ παρέδωκα ὑμῖν, ὅτι ὁ κύριος Ἰησοῦς ἐν τῇ νυκτί, ᾗ παρεδίδοτο, ἔλαβεν ἄρτον (23), καὶ εὐχαριστήσας ἔκλασεν καὶ

Ego enim accepi a domino, quod et tradidi vobis, quoniam dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem (23), et gratias agens fregit et dixit:

εἶπεν· Τοῦτό μού ἐστιν τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν (24). Ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι, λέγων· Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι· τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἐὰν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν (25). Ὁσάκις γὰρ ἐὰν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ τὸ ποτήριον πίνητε, τὸν θάνατον τοῦ κυρίου καταγγέλλετε, ἄχρι οὗ ἔλθῃ (26). Ὥστε ὃς ἂν ἐσθίῃ τὸν ἄρτον ἢ πίνῃ τὸ ποτήριον τοῦ κυρίου ἀναξίως, ἔνοχος ἔσται τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου (27). Δοκιμαζέτω δὲ ἄνθρωπος ἑαυτὸν καὶ οὕτως ἐκ τοῦ ἄρτου ἐσθιέτω καὶ ἐκ τοῦ ποτηρίου πινέτω (28)· ὁ γὰρ ἐσθίων καὶ πίνων κρίμα ἑαυτῷ ἐσθίει καὶ πίνει, μὴ διακρίνων τὸ σῶμα (29).

Διὰ τοῦτο ἐν ὑμῖν πολλοὶ ἀσθενεῖς καὶ ἄρρωστοι καὶ κοιμῶνται ἱκανοί (30). Εἰ δὲ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα (31)· κρινόμενοι δὲ ὑπὸ τοῦ κυρίου παιδευόμεθα, ἵνα μὴ σὺν τῷ κόσμῳ κατακριθῶμεν (32). Ὥστε, ἀδελφοί μου, συνερχόμενοι εἰς τὸ φαγεῖν ἀλλήλους ἐκδέχεσθε (33). Εἴ τις πεινᾷ, ἐν οἴκῳ ἐσθιέτω, ἵνα μὴ εἰς κρίμα συνέρχησθε.

Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem (24). Similiter et calicem, postquam cenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine; hoc facite, quotienscumque bibetis, in meam commemorationem (25). Quotienscumque enim manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem domini adnuntiabitis, donec veniat (26). Itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem domini indigne, reus erit corporis et sanguinis domini (27). Probet autem seipsum homo et sic de pane illo edat et de calice bibat (28). Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus domini (29).

Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles et dormiunt multi (30). Quodsi nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur (31); dum iudicamur autem, a domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur (32). Itaque, fratres mei, cum convenitis ad manducandum, invicem exspectate (33). Si quis esurit, domi manducet, ut non

Τὰ δὲ λοιπά, ὡς ἂν ἔλθω, διατάξομαι (34).

in iudicium conveniatis. Cetera autem, cum venero, disponam (34).

II. DIDACHE c. 9 et 10.

Hisce capitibus continentur tres orationes, quae prope ad eas accedunt, quibus teste tractatu b'rakhoth libri Talmud Iudaei in vigilia vel die sabbati panem et vinum benedicebant hodieque benedicunt; cfr. von der Goltz, Tischgebete und Abendmahlsgebete in der altchristlichen und in der griechischen Kirche (Texte und Unters., N. F. XIV 2b, Lips. 1905); vix igitur dubitari potest, quin auctor has formulas iudaicas imitatus sit. Sed de explicandis orationibus illis scriptores maxime inter se dissident. Alii, ut Ladeuze (Revue de l'orient chrét. 1902, 1 squ.) eas, quamquam De eucharistia intitulantur, ante et post vulgarem cenam adhibendas esse opinantur; Drews de privata eucharistia sine sacerdote celebranda cogitat (Zeitschrift für neutest. Wiss. 1904, 74 squ.). Multi, ut Funk (Patres apostolici I [1901] 20) et Wilpert (Fractio panis 64), has orationes ad sacram communionem referentes, cap. 9 antecommunionem et cap. 10 postcommunionem adpellant; plurimi, quibus ipse adsentior, eas preces liturgicas interpretantur, ita ut pro primo ecclesiae canone habendae sint (Harnack, Chronol. I 430; A. Baumstark in Röm. Quart. 1904, 137; Struckmann, Die Gegenwart Christi 4; Wieland, Mensa und Confessio 11; H. Koch in Theol. Quart. 1907, 492 squ.); eodem sensu auctor Constitutionum apostolicarum eas intellexit suisque temporibus adcommodavit (VII 26). Nuperrime Schermann (Die Gebete in Didache c. 9 u. 10, Monaci 1907) mediam quandam viam ingressus est putans preces capitis 9 ad vulgarem cenam spectare, capitis vero 10 liturgicas ad instar canonis missae esse; quod non probo. Textum totius Didaches vide in Florilegii mei fasciculo primo p. 9—28.

c. 9. *Περὶ δὲ τῆς εὐχαριστίας*[1]. *Οὕτως εὐχαριστήσατε.* 2 *Πρῶτον περὶ τοῦ ποτηρίου*[2]*· Εὐχαριστοῦμέν σοι, πάτερ ἡμῶν, ὑπὲρ τῆς ἁγίας ἀμπέλου Δαυὶδ*[3] *τοῦ παι-*

De eucharistia. Ita gratias agite. 2 Primum de calice: Gratias agimus tibi, pater noster, pro sancta vite David pueri tui, quam notam fecisti nobis per

[1] Vox *εὐχαριστία* etiam apud s. Ignatium legitur (Smyrn. 7, 1). [2] Similiter in ritu Iudaeorum supra laudato benedictio calicis benedictionem panis praecedit; in litteris autem christianis hic ordo nusquam alias invenitur. [3] Saepe a veteribus Christus vitis Davidis

δός σου, ᾗς ἐγνώρισας ἡμῖν διὰ Ἰησοῦ τοῦ παιδός σου· σοὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. 3 Περὶ δὲ τοῦ κλάσματος· Εὐχαριστοῦμέν σοι, πάτερ ἡμῶν, ὑπὲρ τῆς ζωῆς καὶ γνώσεως, ἧς ἐγνώρισας ἡμῖν διὰ Ἰησοῦ τοῦ παιδός σου· σοὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. 4 Ὥσπερ ἦν τοῦτο τὸ κλάσμα διεσκορπισμένον ἐπάνω τῶν ὀρέων καὶ συναχθὲν ἐγένετο ἕν, οὕτω συναχθήτω σου ἡ ἐκκλησία ἀπὸ τῶν περάτων τῆς γῆς εἰς τὴν σὴν βασιλείαν[1]· ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ δόξα καὶ ἡ δύναμις διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς αἰῶνας. 5 Μηδεὶς δὲ φαγέτω μηδὲ πιέτω ἀπὸ τῆς εὐχαριστίας ὑμῶν, ἀλλ' οἱ βαπτισθέντες εἰς ὄνομα κυρίου[2]· καὶ γὰρ περὶ τούτου εἴρηκεν ὁ κύριος· „Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί“[3].

Iesum puerum tuum; tibi gloria in saecula. 3 De fracto pane: Gratias agimus tibi, pater noster, pro vita et scientia, quam notam fecisti nobis per Iesum puerum tuum; tibi gloria in saecula. 4 Sicuti hic panis dispersus erat supra montes et conlectus unus factus est, ita conligatur ecclesia tua a finibus terrae in regnum tuum; quoniam tua est gloria et virtus per Iesum Christum in saecula. 5 Ne quis vero comedat aut bibat de eucharistia vestra, nisi qui baptizati sunt in nomine domini; etenim de hoc dominus: *Nolite*, inquit *sanctum dare canibus.*

c. 10. Μετὰ δὲ τὸ ἐμπλησθῆναι οὕτως εὐχαριστήσατε· 2 Εὐχαριστοῦμέν σοι, πάτερ ἅγιε[4], ὑπὲρ τοῦ ἁγίου ὀνόματός σου, οὗ κατεσκήνωσας ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, καὶ ὑπὲρ τῆς γνώσεως καὶ

Satiati autem ita gratias agite: 2 Gratias tibi agimus, pater sancte, pro sancto nomine tuo, cui sedem constituisti in cordibus nostris, atque pro scientia et fide et immortalitate, quam

adpellatus est. Clemens Alex. (Quis dives salv. c. 29): *Οὗτος ὁ τὸν οἶνον, τὸ αἷμα τῆς ἀμπέλου Δαβίδ, ἐκχέας ἡμῶν ἐπὶ τὰς τετρωμένας ψυχάς.* Origenes (hom. 6, 2 in libr. Iudicum): 'antequam verae vitis, quae adscendit de radice David, sanguine inebriemur'. Orac. Sibyll. VI 15 s.: *Ἐκ δὲ μιῆς πήρης ἄρτου κόρος ἔσσεται ἀνδρῶν | Οἶκος ὅταν Δαυὶδ φύῃ φυτόν.*

[1] regnum Christi caeleste. [2] Iustinus, ap. I 66, 1.
[3] Matth. 7, 6. [4] Ioh. 17, 11.

πίστεως καὶ ἀθανασίας, ἧς ἐγνώρισας ἡμῖν διὰ Ἰησοῦ τοῦ παιδός σου· σοὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. 3 Σύ, δέσποτα παντοκράτορ, ἔκτισας τὰ πάντα ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου, τροφήν τε καὶ ποτὸν ἔδωκας τοῖς ἀνθρώποις εἰς ἀπόλαυσιν, ἵνα σοι εὐχαριστήσωσιν, ἡμῖν δὲ ἐχαρίσω πνευματικὴν τροφὴν καὶ ποτὸν καὶ ζωὴν αἰώνιον διὰ τοῦ παιδός σου. 4 Πρὸ πάντων εὐχαριστοῦμέν σοι, ὅτι δυνατὸς εἶ[1]· σοὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. 5 Μνήσθητι, κύριε, τῆς ἐκκλησίας σου τοῦ ῥύσασθαι αὐτὴν ἀπὸ παντὸς πονηροῦ καὶ τελειῶσαι αὐτὴν ἐν τῇ ἀγάπῃ σου, καὶ σύναξον αὐτὴν ἀπὸ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, τὴν ἁγιασθεῖσαν, εἰς τὴν σὴν βασιλείαν, ἣν ἡτοίμασας αὐτῇ· ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. 6 Ἐλθέτω χάρις καὶ παρελθέτω ὁ κόσμος οὗτος[2]. Ὡσαννὰ τῷ θεῷ Δαυίδ[3]. Εἴ τις ἅγιός ἐστιν, ἐρχέσθω· εἴ τις οὐκ ἔστι, μετανοείτω[4]· μαρὰν ἀθά[5]· ἀμήν. 7 Τοῖς δὲ προφήταις ἐπιτρέπετε εὐχαριστεῖν, ὅσα θέλουσιν[6].

manifestasti nobis per Iesum puerum tuum; tibi gloria in saecula. 3 Tu, domine omnipotens, creavisti omnia propter nomen tuum, cibum potumque dedisti hominibus gustandum, ut tibi gratias agerent, nobis autem largitus es spiritualem cibum et potum et vitam aeternam per puerum tuum. 4 Ante omnia gratias agimus tibi, quod potens es; tibi gloria in saecula. 5 Memento, domine, ecclesiae tuae, ut eam defendas ab omni malo eamque perficias in caritate tua, et congrega eam a quattuor ventis sanctificatam in regnum tuum, quod ei praeparasti; quoniam tua est virtus et gloria in saecula. 6 Veniat gratia et pereat mundus hic! Hosanna deo David! Si quis sanctus est, accedat; sin minus, eum paeniteat; maran atha, amen. 7 Prophetis vero concedite, ut gratias agant, quantum velint.

[1] Apoc. 11, 17. [2] Veteres christiani orabant, ut finis mundi acceleraretur; cfr. Apoc. 22, 17. Tertullianus secundam orationis dominicae precationem ad consummationem saeculi refert (de orat. 5); idem vero in Apologetico (c. 39) scribit: Oramus pro mora finis. [3] Matth. 21, 9. 15, ubi legitur: ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαυείδ. [4] Haec verba alii de adventu Christi futuro, alii de accessu ad sacram communionem interpretantur. [5] i. e.: Dominus venit (vel: veniat).

III. S. IVSTINI APOLOGIA I 65—67[1].

c. 65. *Ἡμεῖς δὲ μετὰ τὸ οὕτως λοῦσαι*[2] *τὸν πεπεισμένον καὶ συγκατατεθειμένον ἐπὶ τοὺς λεγομένους ἀδελφοὺς ἄγομεν, ἔνθα συνηγμένοι εἰσί, κοινὰς εὐχὰς ποιησόμενοι ὑπέρ τε ἑαυτῶν καὶ τοῦ φωτισθέντος καὶ ἄλλων πανταχοῦ πάντων εὐτόνως, ὅπως καταξιωθῶμεν τὰ ἀληθῆ μαθόντες καὶ δι' ἔργων ἀγαθοὶ πολιτευταὶ καὶ φύλακες τῶν ἐντεταλμένων εὑρεθῆναι, ὅπως τὴν αἰώνιον σωτηρίαν σωθῶμεν.* 2 *Ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν*[3]. 3 *Ἔπειτα προσφέρεται τῷ προεστῶτι τῶν ἀδελφῶν ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος*[4]*, καὶ οὗτος λαβὼν αἶνον καὶ δόξαν τῷ πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου ἀναπέμπει καὶ εὐχαριστίαν ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ ἐπὶ πολὺ ποιεῖται*[5]*· οὗ συντε-*

c. 65. Nos vero, postquam ita abluimus eum, qui credidit et nobis adiunctus est, ad fratres qui dicuntur ducimus, quo congregati sunt communes preces fusuri et pro nobis ipsis et pro eo, qui inluminatus est, et pro ceteris, qui sunt ubique, omnibus intenti animo, ut digni habeamur, qui veritate cognita et bona operantes et mandatis obtemperantes inveniamur, ut salutem aeternam consequamur. 2 Inter nos osculo salutamus precibus finitis. 3 Deinde antistiti fratrum adfertur panis et poculum aquae vinique; quibus ille acceptis laudem et gloriam patri universorum per nomen filii et spiritus sancti sursum mittit et gratiarum actionem pro eo, quod hisce ab eo dignati sumus, prolixe instituit; quibus precibus gratiarumque actione absolutis,

Eadem verba aramaica leguntur 1 Cor. 16, 22 et finem Apocalypsis (22, 20) redolent. [6] Inde ne conligas, has orationes (c. 9 et 10) in publico usu ecclesiae passim fuisse. Recte mihi Duchesne (Bull. crit. 1887, 363) et Hemmer (Revue d'hist. et de litt. rel. 1907, 127) coniecisse videntur, eas privati generis fuisse; etiam Funk (Patres apost. I² 2) ritum quendam singularem eas prodere scribit.

[1] Totum textum apologiarum s. Iustini edidi in fasc. 2 Florilegii. [2] i. e. post baptismum; cfr. c. 61. [3] Tert. de orat. 14: Osculum pacis, quod est signaculum orationis; quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cum oratione commendabilior adscendit? [4] i. e. vini, quo sensu *κρᾶμα* apud veteres saepius usurpatur. [5] Gratiae agebantur in sacrificio missae primum pro

λέσαντος τὰς εὐχὰς καὶ τὴν εὐχαριστίαν πᾶς ὁ παρὼν λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων· Ἀμήν. 4 *Τὸ δὲ ἀμὴν τῇ ἑβραΐδι φωνῇ τὸ γένοιτο σημαίνει.* 5 *Εὐχαριστήσαντος δὲ τοῦ προεστῶτος καὶ ἐπευφημήσαντος παντὸς τοῦ λαοῦ οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι.*

c. 66. *Καὶ ἡ τροφὴ αὕτη καλεῖται παρ' ἡμῖν εὐχαριστία*[1], *ἧς οὐδενὶ ἄλλῳ μετασχεῖν ἐξόν ἐστιν ἢ τῷ πιστεύοντι ἀληθῆ εἶναι τὰ δεδιδαγμένα ὑφ' ἡμῶν καὶ λουσαμένῳ τὸ ὑπὲρ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν καὶ εἰς ἀναγέννησιν λουτρὸν καὶ οὕτως βιοῦντι, ὡς ὁ Χριστὸς παρέδωκεν*[2]. 2 *Οὐ γὰρ ὡς κοινὸν ἄρτον οὐδὲ κοινὸν πόμα ταῦτα λαμβάνομεν· ἀλλ' ὃν τρόπον διὰ λόγου θεοῦ*[3] *σαρκοποιηθεὶς Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν, οὕτως καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ'* omnis qui adest populus adclamat dicens: Amen. 4 Vox amen hebraea lingua 'fiat' significat. 5 Iam vero postquam antistes gratias egit et omnis populus adclamavit, ii, qui apud nos vocantur diaconi, unicuique eorum, qui adsunt, distribuunt gustanda panem et vinum et aquam, de quibus gratiae actae sunt, iisque qui absunt deferunt.

c. 66. Atque hic cibus vocatur apud nos eucharistia, cuius nulli alii participi esse licet, nisi qui credit veram esse doctrinam nostram et ablutus est lavacro, quod fit in remissionem peccatorum et in regenerationem, et ita vivit, ut Christus tradidit. 2 Non enim ut communem panem aut communem potum haec sumimus; sed quemadmodum per logum dei incarnatus Iesus Christus servator noster et carnem et sanguinem pro salute nostra habuit, ita cibum, de quo per precationis logum ab eo ortum

cibo potuque naturali, deinde pro incarnatione et passione Iesu Christi (Did. 10, 3; Iust. apol. I 13 et dial. 41. 117).

[1] Cfr. supra p. 10. [2] Did. 9, 5. [3] Iustinus incarnationem virtute Verbi, non spiritus sancti, factam esse censet; cfr. ap. I 33, 6: *Τὸ πνεῦμα οὖν καὶ τὴν δύναμιν τὴν παρὰ τοῦ θεοῦ οὐδὲν ἄλλο νοῆσαι θέμις ἢ τὸν λόγον.* Idem legitur Ap. I 46, 5.

αὐτοῦ[1] εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν, ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι[2]. 3 Οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν, ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρέδωκαν ἐντετάλθαι αὐτοῖς, τὸν Ἰησοῦν λαβόντα ἄρτον εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν· „Τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἀνάμνησίν μου, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου“· καὶ τὸ ποτήριον ὁμοίως λαβόντα καὶ εὐχαριστήσαντα εἰπεῖν· „Τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου“· καὶ μόνοις αὐτοῖς μεταδοῦναι. 4 Ὅπερ καὶ ἐν τοῖς τοῦ Μίθρα μυστηρίοις[3] παρέδωκαν γίνεσθαι μιμησάμενοι οἱ πονηροὶ δαίμονες· ὅτι γὰρ ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος τίθεται ἐν ταῖς τοῦ μυουμένου τελεταῖς μετ' ἐπιλόγων τινῶν, ἢ ἐπίστασθε ἢ μαθεῖν δύνασθε.

c 67. Ἡμεῖς δὲ μετὰ ταῦτα[4] λοιπὸν ἀεὶ τούτων ἀλλήλους ἀνα-

gratiae actae sunt, ex quo sanguis et carnes nostrae per mutationem aluntur, illius incarnati Iesu et carnem et sanguinem esse didicimus. 3 Nam apostoli in commentariis ab ipsis compositis, quae vocantur evangelia, ita sibi mandatum esse tradiderunt, Iesum accepto pane gratiisque actis dixisse: *Hoc facite in commemorationem meam, hoc est corpus meum*; et calice similiter accepto actisque gratiis dixisse: *Hic est sanguis meus*; et solis ipsis dedisse. 4 Quod etiam in Mithrae mysteriis ut fieret, docuerunt imitati pravi daemones; panem enim calicemque aquae, quando quis initiatur sacris, adponi carminibus quibusdam additis vel scitis vel discere potestis.

c. 67. Nos vero post haec in futurum semper has res inter

[1] Hic εὐχῆς λόγος non sunt verba Christi: *Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου*, sed illa verba, quibus gratias egit in eucharistia instituenda; vide librum meum: „Eucharistie und Busssakrament in den ersten sechs Jahrhunderten der Kirche“ (Friburgi 1908) p. 94 s. [2] Sensus est: Quemadmodum λόγος dei carnem et sanguinem Iesu Christi creavit, ita λόγος precationis Iesu Christi carnem et sanguinem ex eo cibo creat, qui prorsus in corpora nostra mutatur. [3] De Mithrae mysteriis cfr. etiam Iust. dial. 70 et Tert. de praescr. 40. [4] i. e. post baptismum et primam eucharistiam sumptam (c. 65). Exponitur autem hoc capite 67, quomodo christiani, postquam baptismo deo consecrati sunt, vitam iustituant et quae die solis in unum congregati sacra peragant.

μιμνήσκομεν· καὶ οἱ ἔχοντες τοῖς λειπομένοις πᾶσιν ἐπικουροῦμεν καὶ σύνεσμεν ἀλλήλοις ἀεί. 2 Ἐπὶ πᾶσίν τε, οἷς προσφερόμεθα, εὐλογοῦμεν τὸν ποιητὴν τῶν πάντων διὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ διὰ πνεύματος τοῦ ἁγίου. 3 Καὶ τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ[1] πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται, μέχρις ἐγχωρεῖ[2]. 4 Εἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται. 5 Ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες καὶ εὐχὰς πέμπομεν· καί, ὡς προέφημεν[3], παυσαμένων ἡμῶν τῆς εὐχῆς ἄρτος προσφέρεται καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας, ὅση δύναμις αὐτῷ, ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων τὸ Ἀμήν· καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. 6 Οἱ εὐποροῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ

nos in memoriam revocamus; et cum habemus, indigentibus omnibus subvenimus et semper sumus una nobiscum. 2 Atque pro omnibus, quibus vescimur, laudamus fabricatorem omnium per filium eius Iesum Christum et per spiritum sanctum. 3 Et die qui dicitur solis omnium, qui in urbibus et in agris habitant, in unum fit conventus et commentarii apostolorum vel scripta prophetarum leguntur, quoad tempus fert. 4 Deinde, ubi lector desiit, antistes oratione admonet et incitat ad haec praeclara imitanda. 5 Postea consurgimus simul omnes precesque fundimus; atque, ut supra diximus, ubi precari desiimus, panis adfertur et vinum et aqua, et antistes preces una cum gratiarum actionibus pro viribus sursum mittit, et populus adclamat dicendo Amen; eaque, de quibus gratiae actae sunt, cum unoquoque communicantur et iis, qui absunt, per diaconos mittuntur. 6 Divites autem, quibus placet, pro suo quisque arbitrio quod visum est largiuntur, et quod colligitur apud antisti-

[1] Hac adpellatione alias inter christianos insueta propter gentiles utitur, quorum causa apologiam scripsit. [2] Ergo lectio continua erat neque fiebat per pericopas. [3] supra c. 65, 3.

βούλεται, δίδωσι[1], *καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι ἀποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις καὶ τοῖς διὰ νόσον ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται.* 7 *Τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα, ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ θεὸς τὸ σκότος καὶ τὴν ὕλην τρέψας κόσμον ἐποίησε, καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη· τῇ γὰρ πρὸ τῆς κρονικῆς ἐσταύρωσαν αὐτόν, καὶ τῇ μετὰ τὴν κρονικήν, ἥτις ἐστὶν ἡλίου ἡμέρα, φανεὶς τοῖς ἀποστόλοις αὐτοῦ καὶ μαθηταῖς ἐδίδαξε ταῦτα, ἅπερ εἰς ἐπίσκεψιν καὶ ὑμῖν ἀνεδώκαμεν.*

tem deponitur, et ipse subvenit et pupillis et viduis et iis, qui ob morbum aliamve ob causam inopia premuntur, et qui in vinculis sunt, adventantibusque peregre hospitibus, denique omnium, qui in egestate sunt, curator exsistit. 7 Solis autem die una omnes convenimus, quo deus tenebras materiemque immutando mundum creavit et Iesus Christus servator noster eodem die e mortuis resurrexit; pridie enim Saturni diei cruci adfixerunt eum et postridie Saturni, qui est solis dies, visus apostolis suis discipulisque haec tradidit, quae quidem reputanda et vobis proposuimus.

IV. EPITAPHIVM ABERCII.

Abercii epigramma, 'dignitate et pretio inter christiana facile princeps'[2], accurate transscripsi et explicavi in fasciculo tertio Florilegii (p. 3—9. 36—41). Constat ex viginti duobus versibus, quorum secundus pentameter, ceteri hexametri dactylici sunt. Hic titulus exeunte fere saeculo altero lapidi incisus est in Phrygia, quae erat patria Abercii; eius lapidis magnam partem Ramsay anno 1883 prope urbem Hieropolim repperit, quae hodie adservatur in museo Latera-

[1] Tert. apol. 39: Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit et si modo possit, adponit . . . egenis alendis humandisque squ. [2] De Rossi, Inscriptiones christ. urbis Romae II 1, prooem. XIII.

nensi Romano. Totum epitaphium nobis traditum est in Actis copiosis Abercii, quae saeculo quinto orta esse videntur et apud Symeonem Metaphrasten aliisque locis leguntur.

Nostra aetate quidam suspicati sunt Abercium ethnicum fuisse et in Syria religionem Magnae Matris sive Cybelae propagavisse[1]. Harnack persuasum habet eum conlegii religiosi sodalem fuisse, in quo ethnica et christiana permixta fuissent[2]. Attamen christiana eius religio multo verisimilior est[3].

Ἐκλεκτῆς πόλεως ὁ πολείτης ταῦτ' ἐποίησα
ζῶν, ἵν' ἔχω καιρῷ σώματος ἔνθα θέσιν.
Οὔνομ' Ἀβέρκιος ὢν ὁ μαθητὴς ποιμένος ἁγνοῦ,
ὃς βόσκει προβάτων ἀγέλας ὄρεσιν πεδίοις τε,
ὀφθαλμοὺς ὃς ἔχει μεγάλους πάντη καθορῶντας.
Οὗτος γὰρ μ' ἐδίδαξε .... γράμματα πιστά·
εἰς Ῥώμην ὃς ἔπεμψεν ἐμὲν βασιλῆ ἀναθρῆσαι
καὶ βασίλισσαν ἰδεῖν χρυσόστολον χρυσοπέδιλον·
λαὸν δ' εἶδον ἐκεῖ λαμπρὰν σφραγεῖδαν ἔχοντα.
Καὶ Συρίης πέδον εἶδα καὶ ἄστεα πάντα, Νισῖβιν,
Εὐφράτην διαβάς· πάντη δ' ἔσχον συνομίλους (?),
Παῦλον ἔχων ἔπ(οχον?). Πίστις πάντη δὲ προῆγε
καὶ παρέθηκε τροφὴν πάντη ἰχθὺν ἀπὸ πηγῆς
πανμεγέθη καθαρὸν, ὃν ἐδράξατο παρθένος ἁγνή,
καὶ τοῦτον ἐπέδωκε φίλοις ἐσθεῖν διὰ παντός
οἶνον χρηστὸν ἔχουσα κέρασμα διδοῦσα μετ' ἄρτου.
Ταῦτα παρεστὼς εἶπον Ἀβέρκιος ὧδε γραφῆναι,
ἑβδομηκοστὸν ἔτος καὶ δεύτερον ἦγον ἀληθῶς.
Ταῦθ' ὁ νοῶν εὔξαιτο ὑπὲρ Ἀβερκίου πᾶς ὁ συνῳδός.
Οὐ μέντοι τύμβῳ τις ἐμῷ ἕτερόν τινα θήσει.
εἰ δ' οὖν, Ῥωμαίων ταμείῳ θήσει δισχίλια χρυσᾶ
καὶ χρηστῇ πατρίδι Ἱεροπόλει χίλια χρυσᾶ[4].

[1] Ita Ficker (Der heidnische Charakter der Abercius-Inschr., in: Sitzungsberichte der königl.-preuss. Akad., Berol. 1894, I 87—112) et Dieterich (Die Grabschrift des Aberkios 1896). [2] Die Chronologie II (1904) 183. [3] De Rossi l. l. XII—XIX; De Sanctis in: Zeitschr. f. kath. Theol. 1897, 673—695; Leclercq, Abercius (Cabrol, Dictionnaire d'archéol., fasc. 1 [1893] 66—87). [4] Eiusmodi minae in epitaphiis Phrygiis eodem tempore ortis, etiam christianis, multae leguntur; cfr.

(*versio latina:*)

Electae civitatis civis haec feci
vivus, ut haberem tempore ibi sedem.
Nomen mihi Abercius, discipulus (sum) pastoris casti,
qui pascit ovium greges in montibus campisque,
qui oculos habet grandes quoquoversus spectantes.
Is enim me docuit .... litteras fideles;
qui Romam me misit, ut regem contuerer
reginamque viderem aurea stola indutam aureisque calceis;
populumque vidi ibi splendidum sigillum habentem.
Et Syriae vidi agrum oppidaque cuncta, et Nisibin,
Euphratem transgressus; ubique vero nanctus sum socios,
Paulum habens comitem. Fides ubique me duxit
adposuitque cibum ubique piscem e fonte
ingentem purum, quem prehendit virgo casta,
et hunc dedit amicis edendum perpetuo,
vinum optimum habens, mixtum ministrans cum pane.
Haec adstans dictavi Abercius heic inscribenda,
septuagesimum alterum annum egi revera.
Haec qui intellegit eademque sentit, oret pro Abercio.
Ne quis vero tumulo meo alterum superimponat;
sin aliter, Romanorum aerario solvet duo milia aureum
optimaeque patriae Hieropoli aureos mille.

V. EPITAPHIVM PECTORII.

Anno 1839 in coemeterio prope urbem Augustodunum in Gallia ab operariis sex fragmenta tituli graeci effossa et in parvum, quod dicitur, eiusdem urbis seminarium translata sunt, ubi tunc temporis Pitra litteras humaniores docebat, postea monachus Solesmensis et Romanae ecclesiae cardinalis. Is paulo post rudera in coemeterio

Reliquiae liturgicae vetustissimae, curav. Cabrol et Leclercq, tom. I, Paris. 1902, nr. 2789. 2790. 2793; ex gr. (nr. 2793): *Εἴ δέ τις ἐπιτηδεύσει, ϑήσει εἰς τὸ ἱερώτατον ταμεῖον δην.* (denarios) *δισχείλια καὶ ἔσται αὐτῷ πρὸς τὴν χεῖρα τοῦ ϑεοῦ*, et (nr. 2789): *Εἴ τις δὲ ἐπιχειρήσει ϑεῖναι ἕτερόν τινα, ϑήσει εἰς τὸ ταμεῖον προστείμου δην. φ· εἰ καταφρονήσει τούτου, ἔστε αὐτῷ πρὸς τὸν ζῶντα ϑεόν.*

diligentius eruendo septimum fragmentum invenit, quod minus quidem erat, sed nomen Pectorii, a quo erectus est titulus, prodebat; tria aut quattuor fragmenta adhuc desiderantur. Litterae a Pitra scriptae et in diario „Annales de philosophie“ (2. série t. XIX, Parisiis 1839, p. 195) typis expressae primum viris doctis de invento thensauro adtulere nuntium. Multi postea in hoc titulo supplendo explicandoque laboraverunt, inter quos eminent: Lenormant, Mémoire sur l'inscription d'Autun, apud Cahier et Martin, Mélanges d'archéologie et d'hist., tom. IV (1856) p. 115 squ.; Le Blant, Inscriptions chrétiennes de la Gaule I (1856) nr. 4, p. 8—14; Kraus, Roma sotterranea (1879), 2 ed., 249 squ.; O. Pohl, Das Ichthys-Monument von Autun 1880; de Rossi, Inscriptiones christianae urbis Romae II 1 (1888), prooem. 18—24; Wilpert, Prinzipienfragen (1889) 56 squ. Cfr. etiam Pitra, Specilegium Solesmense I (1852) p. 554—564, cui operi schema simillimum tituli (facsimile) praefixum est.

Hoc epitaphium positum est a Pectorio, viro ignoto, in honorem parentum aliorumque familiarium. Duae eius tituli partes distinguendae sunt. Prior pars, quae constat tribus distichis elegiacis, est quaedam professio fidei; agit enim de sacramentis baptismi et eucharistiae; hoc loco christiani adpellantur ‘divinum genus piscis caelestis’. Altera pars funebrem characterem habet; constat quattuor hexametris dactylicis et uno pentametro. Quinque priores versus huius epigrammatis acrostichidis arte connectuntur; primae enim eorum litterae vocem *ἰχθύς* efficiunt.

Quo tempore hic lapis sepulcralis positus sit, inter viros doctos ambigitur. Alii, ut Pitra et de Rossi, de ineunte, alii, ut Lenormant, Le Blant, Wilpert, de exeunte saeculo tertio cogitant; Kraus propter oblongiorem formam litterarum saeculum IV. vel V. praefert. Mihi tertium saeculum magis adridet, propterea quod symbolum piscis, tertio saeculo iam minus usitatum in ecclesia, quarto saeculo prorsus evanuit.

Ἰχθύος ο[ὐρανίου θε]ῖον γένος ἥτορι σεμνῷ
χρῆσαι[1] *λαβὼ[ν ζωὴ]ν*[2] *ἄμβροτον ἐν βροτέοις*
θεσπεσίων ὑδάτων· τὴν σὴν, φίλε, θάλπεο ψυχήν
ὕδασιν ἀενάοις πλουτοδότου σοφίης.
Σωτῆρος δ' ἁγίων μελιηδέα λάμβανε βρ[ῶσιν]·
ἔσθιε πιν[άω]ν[3]*, ἰχθὺν ἔχων παλάμαις.*
Ἰχθύϊ χό[ραζ'] *ἄρα, λιλαίων, δέσποτα σῶτερ.*

[1] *χρῆσε* in lapide legitur. [2] alii: *πηγήν*. [3] *πῖν' ἄδην* Pitra alii.

Εὖ εὖδοι μ[ή]τηρ, σε λιτάζομαι[1], *φῶς τὸ θανόντων.*
Ἀσχανδῖε [πάτ]ερ, τῷμῷ κε[χα]ρισμένε θυμῷ,
σὺν μ]ητρὶ γλυκερῇ καὶ ἀδελφει]οῖσιν[2] *ἐμοῖσιν*
δ[χθύος εἰρήνῃ σέο] μνήσεο Πεκτορίοιο.

(*versio latina:*)

Piscis caelestis divinum genus, integerrimi pectoris
esto, accepta vita immortali inter mortales
sacratis in lymphis; tuam, amice, confove animam
aquis perennibus munificae sapientiae.
Salvatoris sanctorum mellitum accipe cibum;
manduca, bibe, piscem tenens manibus.
Pisce igitur satia, quaeso, domine salvator.
Bene ut cubet mater, te deprecor, lux mortuorum.
Aschandie pater, meo carissime animo,
cum matre dulcissima fratribusque meis
cum pace piscis tui memento Pectorii.

VI. ORDO SYNAXIS CHRISTIANAE EX DIDASCALIA II 57.

Didascaliam apostolorum, ex qua sex libri Constitutionum apostolorum priores prodierunt, altera saeculi tertii parte ortam esse omnes fere hodie consentiunt. Textus graecus periit; sed tota versio syriaca ad nos pervenit et versionis latinae optimae tertia fere pars. Textum syriacum primus edidit anno 1854 Lagarde[3]; idem eodem anno textum graecum restituere conatus est[4], ita tamen, ut opus eius haud paucis et parvis vitiis laboraret. Versionem latinam solo codice palimpsesto bibliothecae capitularis Veronensis traditam Hauler detexit et anno 1900 publicavit. Postea Nau[5] Didascaliam secundum textum Lagardianum in sermonem gallicum, Margareta Gibson[6] ex codice Mesopotamico in linguam anglicam, Flemming[7] codicibus Parisino Mesopotamico Cantabrigiensi magna cum industria excussis in linguam germanicam transtulit. Postremo Funk, omnibus codicibus, praesertim Parisino et Vero-

[1] *λιτάζομε* lapis. [2] *οἰκειοῖσιν* Pitra. [3] Didascalia apostolorum syriace, Lipsiae 1854. [4] Analecta Ante-Nicaena, vol. II, Londini 1854. [5] La didascalie, Paris 1902. [6] Horae Semiticae II. The Didascalia apostolorum in English 1903. [7] Die syrische Didascalia

nensi, necnon et versionibus neotericis adhibitis, versionem latinam diligentissime composuit eamque notis inlustratam una cum graeco textu Constitutionum apostolorum edidit[1]. Ex hac editione Funkii particulam II 57, quae in versione vetere Veronensi non exstat, in versione autem syriaca prior pars est capitis XII (apud Flemming p. 68 s.), depromptam hoc loco repetivi.

Vos autem episcopi nolite esse duri neque tyranni neque iracundi neque asperi in populum dei manibus vestris traditum, nec solvite domum domini neque dispergite populum eius, sed convertite omnes homines, ut deo cooperemini, et congregate credentes cum magna mansuetudine et longanimitate et patientia et sine ira et per doctrinam et orationem tamquam ministri regni aeterni.

2 In congregationibus vestris autem, in ecclesiis sanctis, conventus vestros facite quovis modo pulchro et disponite sollicite loca fratribus cum verecundia. 3 Segregetur presbyteris locus in parte domus ad orientem versa[2]. 4 Et in medio inter eos situm sit episcopi solium[3], et cum eo sedeant presbyteri[4]; similiter autem in parte altera ad orientem versa[5] viri laici sedeant. 5 Ita enim decet in parte domus ad orientem versa presbyteros sedere cum episcopo et post hos laicos ac deinde feminas, ut, cum surgitis orantes, praepositi surgant primi et post eos viri laici, deinde iterum feminae. Nam orientem versus

übersetzt und erklärt von Hans Achelis und Joh. Flemming 1904 (Texte u. Unters., N. F. X 2). [1] Didascalia et Const. ap., Paderb. 1906. [2] Inde adparet, ex sententia auctoris templa christianorum ad orientem spectare. In oriente ecclesiae plerumque in hunc modum exstructae erant, ex gr. basilica sancti sepulcri Hierosolymitana (Eus., Vita Const. III 36). Socrates (h. e. V 22) tamquam rem singularem narrat, ecclesiam Antiochiae Syriae ad occasum vergere. Etiam in occidente s. Paulinus Nolanus usitatiorem morem esse dicit, ut basilicae ad orientem versus erectae sint (ep. 32, 13). Romae autem prius regula inversa observata esse videtur, cum basilicae urbis antiquissimae ad occidentem spectent. [3] Hunc cathedrae episcopalis locum nonnullae ecclesiae antiquissimae usque hodie conservant. Medio aevo cathedra prope altare in parte laterali conlocabatur (Funk). [4] Reliqui clerici, etiam diaconi, non sedebant, sed stabant. [5] Hoc additamentum 'ad orientem versa' satis complicatum Flemming uncis inclusit.

oportet vos orare [1], sicut et scitis scriptum esse: *Date laudem deo, qui adscendit super caelum caeli ad orientem* [2]. 6 Diaconorum autem unus semper adstet oblationibus eucharistiae et alter foras stet ad portam spectans introeuntes, et postea, cum vos offeretis, simul ministrent in ecclesia.

7 Et si quis inventus fuerit non suo loco sedens, increpet eum diaconus, qui intus est, faciatque eum surgere ac sedere in loco ipsi convenienti. 8 Namque cum caulis dominus noster ecclesiam comparavit. Sicut enim videmus animalia rationis expertia, putamus boves et oves et capras, secundum genera ac genera cubare ac surgere ac pasci ac ruminari neque ullum eorum a propinquis separari, et rursus animalia campi singula cum similibus in montibus ambulare, ita in ecclesia quoque iuniores seorsum sedeant, si locus est, si non, stent pedibus; aetate vero provecti sedeant separatim; pueri autem stent seorsum aut patres ac matres eos ad se adsumant et stent pedibus; et adulescentulae iterum seorsum sedeant, si vero non est locus, post mulieres stent; quae nupserunt et adulescentes sunt ac liberos habent, seorsum stent, anus et viduae seorsum sedeant. 9 Et diaconus provideat, ut unusquisque intrantium in suum locum se conferat nec quisquam ex eis in loco non convenienti sedeat. 10 Similiter diaconus provideat, ne quis susurret vel dormitet vel rideat vel nutet. 11 Sic enim in ecclesia oportet cum disciplina et sobrietate vigilare et intentam aurem habere ad verbum domini.

VII. CANON SEV ANAPHORA SERAPIONIS.

Scriptum, quod nomine canonis Serapionis designo, anno 1894 in ephemeride academiae ecclesiasticae Kiioviensis primum editum est, sed viris doctis latuit, donec G. Wobbermin in monte, qui dicitur Athos, in bibliotheca monasterii Lawra codicem quendam repperit et ex eo publicavit anno 1899: „Altchristliche liturgische Stücke aus der Kirche Ägyptens“ (Texte und Untersuchungen, herausgegeben von

[1] Eadem consuetudo orandi a multis aliis scriptoribus commemoratur (Clem. Alex. strom. VII 7. 43; Tert. ap. 16; Basil. de spir. s. 27, 66, alii). [2] Ps. 67, 34.

v. Gebhardt und Harnack, N. F. II 3b). Hoc enim codice, qui saeculo XI. exaratus est, continetur sacramentarium (*εὐχολόγιον*), quod constat triginta orationibus; ex hisce duodeviginti (ed. Funk I—XVIII) ad missam, septem (XIX—XXV) ad baptismum et confirmationem, tres (XXVI—XXVIII) ad ordines sacros, duae ad oleum infirmorum (XXIX) et sepulturam (XXX) spectant.

Nonnullae harum orationum in codice Serapioni, episcopo Thmuensi, qui fuit familiaris sancti Athanasii, adsignantur. Inde conclusit optimo iure Wobbermin, totam conlectionem ei adtribuendam esse, praesertim cum aetate Serapionis, i. e. medio saeculo quarto, eam ortam esse certum sit. At Serapion non proprie auctor totius conlectionis habendus est, sed eam in formam, qua exstat, redegit; nam magnam eius partem iam ante Serapionem exstitisse et saeculo tertio conceptam esse verisimillimum est. Id inprimis dicendum est de ea oratione, de qua hoc loco agimus.

Inter orationes enim euchologii Serapionis et numero et dignitate principem locum obtinet ea, quae inscribitur: *Εὐχὴ προσφόρου Σαραπίωνος ἐπισκόπου*. Haec oratio est anaphora seu canon missae incipiens a praefatione, cuius origo aegyptiaca et inde cognoscitur, quod ad liturgiam, quae dicitur sancti Marci, prope accedit. Canon Serapionis, ut omittam preces Didaches c. 9 et 10, est antiquissimus omnium, qui ad nos pervenerunt. Formam eius antiquiorem, a Serapione transformatam et auctam, A. Baumstark sagaciter inquirendo enucleare studuit (Die Anaphora von Thmuis, in Röm. Quartalschrift 1904, 123—142).

Paulo post editionem Wobberminii Brightman, descriptionem particulae codicis photographicam nanctus, textum euchologii aliquot locis emendatum denuo edidit et amplissime inlustravit in *The Journal of Theological Studies* I (1900) p. 88—113; 247—277. Eodem tempore Drews de eo elucidando optime meritus est („Über Wobbermins Altchristliche liturgische Stücke“, in: Zeitschrift für Kirchengeschichte 1900, 291—328; 415—441). Postremo Funk idem euchologium accuratissime edidit cum versione latina in opere suo insigni: „Didascalia et Constitutiones apostolorum“ II (1906) 158—195. Versionem germanicam anaphorae Serapionis videris apud Drews (l. l. p. 305 squ.) et in libro meo „Eucharistie und Busssakrament“ p. 74 squ.

Orationes euchologii in codice recto ordine carent, quem Brightman et Funk in editionibus suis restituerunt. Ita factum est, ut anaphora, quae in codice prima oratio est, apud Funkium tertiodecimo loco legatur.

Εὐχὴ προσφόρου[1] *Σαραπίωνος ἐπισκόπου.*

I. *Ἄξιον καὶ δίκαιόν ἐστιν σὲ τὸν ἀγένητον πατέρα τοῦ μονογενοῦς Ἰησοῦ Χριστοῦ αἰνεῖν ὑμνεῖν δοξολογεῖν.* 2 *Αἰνοῦμεν σέ, ἀγένητε θεέ, ἀνεξιχνίαστε, ἀνέκφραστε, ἀκατανόητε πάσῃ γενητῇ ὑποστάσει.* 3 *Αἰνοῦμεν σὲ τὸν γιγνωσκόμενον ὑπὸ τοῦ υἱοῦ*[2] *τοῦ μονογενοῦς, τὸν δι' αὐτοῦ λαληθέντα καὶ ἑρμηνευθέντα καὶ γνωσθέντα τῇ γενητῇ φύσει.* 4 *Αἰνοῦμεν σὲ τὸν γιγνώσκοντα τὸν υἱὸν καὶ ἀποκαλύπτοντα*[2] *τοῖς ἁγίοις τὰς περὶ αὐτοῦ δόξας, τὸν γιγνωσκόμενον ὑπὸ τοῦ γεγεννημένου σου λόγου καὶ ὁρώμενον καὶ διερμηνευόμενον τοῖς ἁγίοις.* 5 *Αἰνοῦμεν σέ, πάτερ ἀόρατε, χορηγὲ τῆς ἀθανασίας· σὺ εἶ ἡ πηγὴ τῆς ζωῆς*[3]*, ἡ πηγὴ τοῦ φωτός, ἡ πηγὴ πάσης χάριτος καὶ πάσης ἀληθείας*[4]*, φιλάνθρωπε καὶ φιλόπτωχε, ὁ πᾶσιν καταλλασσόμενος καὶ πάντας πρὸς ἑαυτὸν διὰ τῆς ἐπιδημίας τοῦ ἀγαπητοῦ σου υἱοῦ ἕλκων*[5].

II. 6 *Δεόμεθα, ποίησον ἡμᾶς ζῶντας ἀνθρώπους· δὸς ἡμῖν πνεῦμα φωτός, „ἵνα γνῶμεν σὲ*

Oratio oblationis Serapionis episcopi.

I. Dignum et iustum est, te increatum patrem unigeniti Iesu Christi laudare, hymnis celebrare, glorificare. 2 Laudamus te, deus increate, investigabilis, ineffabilis, incomprehensibilis omni creatae naturae. 3 Laudamus te, qui *cognosceris* a filio unigenito, qui per eum nuntiatus et declaratus et manifestatus es creatae naturae. 4 Laudamus te, qui *cognoscis filium* et sanctis laudes eius revelas, qui cognosceris a genito tuo verbo et spectaris et declararis sanctis. 5 Laudamus te, pater invisibilis, largitor immortalitatis; tu es *fons vitae*, fons luminis, fons omnis *gratiae et* omnis *veritatis*, amans hominum et pauperum, qui omnibus reconciliaris et *omnes ad te trahis* per visitationem dilecti tui filii.

II. 6 Oramus: fac nos vivos homines; da nobis spiritum lucis, *ut cognoscamus te verum et*

[1] *Πρόσφορον* (cfr. nr. 19) pro *προσφορά* vix alibi usquam legitur. [2] Luc. 10, 22. [3] Ier. 2, 13. [4] Ioh. 1, 14. [5] Ioh. 6, 44.

τὸν ἀληθινὸν καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν“ [1]· δὸς ἡμῖν πνεῦμα ἅγιον, δυνηθῶμεν ἐξειπεῖν καὶ διηγήσασθαι τὰ ἀρρητά σου μυστήρια. 7 Λαλησάτω ἐν ἡμῖν ὁ κύριος Ἰησοῦς καὶ ἅγιον πνεῦμα καὶ ὑμνησάτω σὲ δι' ἡμῶν. 8 Σὺ γὰρ ὁ „ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος καὶ παντὸς ὀνόματος ὀνομαζομένου οὐ μόνον ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ μέλλοντι“ [2]. 9 „Σοὶ παραστήκουσι χίλιαι χιλιάδες καὶ μύριαι μυριάδες“ [3] ἀγγέλων, ἀρχαγγέλων, „θρόνων, κυριοτήτων, ἀρχῶν, ἐξουσιῶν“ [4]· σοὶ παραστήκουσιν τὰ δύο τιμιώτατα [5] Σεραφεὶμ ἑξαπτέρυγα, „δυσὶν μὲν πτέρυξιν καλύπτοντα τὸ πρόσωπον, δυσὶ δὲ τοὺς πόδας, δυσὶ δὲ πετόμενα“ [6] καὶ ἁγιάζοντα. 10 Μεθ' ὧν δέξαι καὶ τὸν ἡμέτερον ἁγιασμὸν λεγόντων· „Ἅγιος ἅγιος ἅγιος κύριος Σαβαώθ, πλήρης“ ὁ οὐρανὸς καὶ „ἡ γῆ τῆς δόξης σου“ [7]. 11 Πλήρης ἐστὶν ὁ οὐρανός, πλήρης ἐστὶν καὶ ἡ γῆ τῆς μεγαλοπρεποῦς σου δόξης, κύριε τῶν δυνάμεων. Πλήρ-

quem misisti Iēsum Christum; da nobis spiritum sanctum, ut possimus edicere et enarrare ineffabilia mysteria tua. 7 Loquatur in nobis dominus Iesus et sanctus spiritus et hymnis te per nos celebret. 8 Tu enim es *supra omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo sed etiam in futuro.* 9 *Tibi adsistunt milia milium et dena milia denum milium* angelorum, archangelorum, *thronorum, dominationum, principatuum, potestatum*; tibi adsistunt duo honoratissimi Seraphim senis alis instructi, *binis alis velantes faciem, binis pedes, binis volantes* et sanctificantes. 10 Quibuscum suscipe et nostram sanctificationem dicentium: *Sanctus sanctus sanctus dominus Sabaoth, plenum* est caelum et *terra gloria tua.* 11 Plenum estcaelum, plena est terra quoque gloria tua magnifica, domine virtutum. Imple etiam hoc

[1] Ioh. 17, 3. [2] Eph. 1, 21. [3] Dan. 17, 10 secundum LXX; in Vulgata legitur: 'milia milium ministrabant ei et deciens milliens centena milia adsistebant ei'. [4] Col. 1, 16. [5] Drews addit: σου ζῶα τὰ πολυόμματα χερουβὶμ καὶ τὰ. [6] Is. 6, 2. [7] Is. 6, 3. Haec particula et quae secuntur (nr. 11) luce clarius originem aegyptiacam manifestant, quippe quae solis in liturgiis s. Marci et Iacobitarum coptitarum et Abessyniorum eodem fere tenore occurrant.

ρωσον καὶ τὴν θυσίαν ταύτην τῆς σῆς δυνάμεως καὶ τῆς σῆς μεταλήψεως· σοὶ γὰρ προσηνήγκαμεν ταύτην τὴν ζῶσαν θυσίαν, τὴν προσφορὰν τὴν ἀναίμακτον.

III. 12 Σοὶ προσηνέγκαμεν τὸν ἄρτον τοῦτον, τὸ ὁμοίωμα[1] τοῦ σώματος τοῦ μονογενοῦς. Ὁ ἄρτος οὗτος τοῦ ἁγίου σώματός ἐστιν ὁμοίωμα, „ὅτι ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, ἐν ᾗ νυκτὶ παρεδίδοτο, ἔλαβεν ἄρτον καὶ ἔκλασεν καὶ ἐδίδου τοῖς μαθηταῖς ἑαυτοῦ λέγων· Λάβετε καὶ φάγετε, τοῦτό ἐστιν τὸ σῶμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον“[2] εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. 13 Διὰ τοῦτο καὶ ἡμεῖς „τὸ ὁμοίωμα τοῦ θανάτου“[3] ποιοῦντες τὸν ἄρτον προσηνέγκαμεν καὶ παρακαλοῦμεν· Διὰ τῆς θυσίας ταύτης καταλλάγηθι πᾶσιν ἡμῖν καὶ ἱλάσθητι, θεὲ τῆς ἀληθείας. Καὶ ὥσπερ ὁ ἄρτος οὗτος ἐσκορπισμένος ἦν ἐπάνω τῶν ὀρέων καὶ συναχθεὶς ἐγένετο εἷς ἕν, οὕτω καὶ τὴν ἁγίαν σου ἐκκλησίαν σύναξον ἐκ παντὸς ἔθνους καὶ πάσης χώρας καὶ πάσης πόλεως καὶ κώμης καὶ οἴκου καὶ ποίησον μίαν ζῶσαν καθολικὴν

sacrificium virtute tua et communicatione tua; tibi enim obtulimus hoc sacrificium vivum, oblationem incruentam.

III. 12 Tibi obtulimus hunc panem, similitudinem corporis unigeniti. Hic panis sancti corporis est similitudo, *quia dominus Iesus Christus, in qua nocte tradebatur, accepit panem ac fregit deditque discipulis suis dicens: Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur* in remissionem peccatorum. 13 Propterea et nos *similitudinem mortis* facientes panem obtulimus et precamur: Per hoc sacrificium reconciliare nobis omnibus et sis propitius, deus veritatis. Et sicut hic panis dispersus erat supra montes et conlectus factus est in unum, ita ecclesiam tuam sanctam conlige ex omni gente omnique terra, ex omni urbe et vico et domo et fac unam vivam catholicam ecclesiam. 14 Obtulimus etiam calicem, similitudinem san-

[1] Vox *ὁμοίωμα* de eucharistia raro adhibita est; pro ea scriptores saeculi quarti saepissime vocibus *ἀντίτυπον* vel *σύμβολον* usi sunt. Panis et vinum *ὁμοίωμα* corporis et sanguinis Iesu sunt, quia mortem eius repraesentant; cfr. nr. 13: *τὸ ὁμοίωμα τοῦ θανάτου*. [2] 1 Cor. 11, 23. 24. [3] Rom. 6, 5.

ἐκκλησίαν[1]. 14 *Προσηνέγκαμεν δὲ καὶ τὸ ποτήριον, τὸ ὁμοίωμα τοῦ αἵματος, „ὅτι ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς λαβὼν ποτήριον μετὰ τὸ δειπνῆσαι ἔλεγεν τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς· Λάβετε πίετε, τοῦτό ἐστιν ἡ καινὴ διαθήκη, ὅ ἐστιν τὸ αἷμά μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτημάτων“*[2]. *Διὰ τοῦτο προσηνέγκαμεν καὶ ἡμεῖς τὸ ποτήριον ὁμοίωμα αἵματος προσάγοντες.*

IV. 15 *Ἐπιδημησάτω, θεὲ τῆς ἀληθείας, ὁ ἅγιός σου λόγος ἐπὶ τὸν ἄρτον τοῦτον, ἵνα γένηται ὁ ἄρτος σῶμα τοῦ λόγου, καὶ ἐπὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, ἵνα γένηται τὸ ποτήριον αἷμα τῆς ἀληθείας· καὶ ποίησον πάντας τοὺς κοινωνοῦντας φάρμακον ζωῆς λαβεῖν εἰς θεραπείαν παντὸς νοσήματος καὶ εἰς ἐνδυνάμωσιν πάσης προκοπῆς καὶ ἀρετῆς, μὴ εἰς κατάκρισιν, θεὲ τῆς ἀληθείας, μηδὲ εἰς ἔλεγχον καὶ ὄνειδος*[3]. 16 *Σὲ γὰρ τὸν ἀγένητον ἐπεκαλεσάμεθα διὰ τοῦ μονογενοῦς ἐν ἁγίῳ πνεύματι· ἐλεηθήτω ὁ λαὸς* guinis, *quoniam dominus Iesus Christus accepto calice, postquam cenavit, dixit* discipulis suis: *Accipite, bibite, hoc est novum testamentum, quod est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* Propterea obtulimus et nos calicem similitudinem sanguinis adhibentes.

IV. 15 Adveniat, deus veritatis, sanctum tuum verbum super hunc panem, ut fiat panis corpus verbi, et super hunc calicem, ut fiat calix sanguis veritatis; et fac, ut omnes communicantes remedium vitae accipiant ad curationem omnis morbi et in adiumentum omnis profectus et virtutis, non in damnationem, deus veritatis, neque in contumeliam et opprobrium. 16 Te enim increatum invocavimus per unigenitum in spiritu sancto: misericordiam tuam moveat hic populus; profectu dignus ha-

[1] Haec sententia *Καὶ ὥσπερ ὁ ἄρτος οὗτος ἐσκορπισμένος* etc. deprompta est ex Didache c. 9, 4.
[2] Matth. 26, 27. 28; 1 Corr. 11, 25.
[3] Quae in hoc nr. 15 leguntur, sunt epiclesis. Sed non ut in omnibus aliis liturgiis spiritus sanctus, sed *ὁ λόγος* ad panem et vinum hoc loco invocatur. Etiam s. Athanasius scribit (apud A. Mai, Script. vet. nova coll. IX 625): *Ἐπὰν δὲ αἱ μεγάλαι εὐχαὶ καὶ αἱ ἅγιαι ἱκεσίαι ἀναπεμφθῶσι, καταβαίνει ὁ λόγος εἰς τὸν ἄρτον καὶ τὸ ποτήριον καὶ γίνεται αὐτοῦ τὸ σῶμα.*

οὗτος, προκοπῆς ἀξιωθήτω, ἀποσταλήτωσαν, ἄγγελοι συμπαρόντες τῷ λαῷ εἰς κατάργησιν τοῦ πονηροῦ καὶ εἰς βεβαίωσιν τῆς ἐκκλησίας. 17 Παρακαλοῦμεν δὲ καὶ ὑπὲρ πάντων τῶν κεκοιμημένων, ὧν ἐστιν καὶ ἡ ἀνάμνησις. 18 (μετὰ τὴν ὑποβολὴν τῶν ὀνομάτων·) Ἁγίασον τὰς ψυχὰς ταύτας, σὺ γὰρ πάσας γινώσκεις· ἁγίασον πάσας τὰς ἐν κυρίῳ κοιμηθείσας καὶ συγκαταρίθμησον πάσαις ταῖς ἁγίαις σου δυνάμεσιν καὶ δὸς αὐτοῖς τόπον καὶ μονὴν ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. 19 Δέξαι δὲ καὶ τὴν εὐχαριστίαν τοῦ λαοῦ καὶ εὐλόγησον τοὺς προσενεγκόντας τὰ πρόσφορα καὶ τὰς εὐχαριστίας καὶ χάρισαι ὑγείαν καὶ ὁλοκληρίαν καὶ εὐθυμίαν, καὶ πᾶσαν προκοπὴν ψυχῆς καὶ σώματος ὅλῳ τῷ λαῷ τούτῳ διὰ τοῦ μονογενοῦς σου Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν ἁγίῳ πνεύματι, ὥσπερ ἦν καὶ ἐστὶν καὶ ἔσται εἰς γενεὰς γενεῶν καὶ εἰς τοὺς σύμπαντας αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

beatur; mittantur angeli, qui adsint populo in destructionem mali et in confirmationem ecclesiae. 17 Precamur etiam pro omnibus mortuis, quorum est memoria. 18 (post enuntiationem nominum:) Sanctifica has animas, tu enim omnes cognoscis; sanctifica omnes in domino defunctas et adnumera omnibus tuis sanctis virtutibus et da eis locum mansionemque in regno tuo. 19 Accipe etiam gratiarum actionem populi et benedic eos, qui obtulerunt oblationes gratiarumque actiones et largire sanitatem et integritatem et laetitiam omnemque profectum animae et corporis omni huic populo per unigenitum tuum Iesum Christum in sancto spiritu, sicut erat et est et erit in generationes generationum et in omnia saecula saeculorum, amen.

VIII. SANCTI CYRILLI CATECHESES MYSTAGOGICAE.

Sanctus Cyrillus Hierosolymis educatus et circa annum 345 a Maximo, episcopo eius urbis, presbyter ordinatus est, cui anno 350 vel 351 in episcopatu successit. Postea ab Arianis vehementissime infestatus ter sede pulsus est. Post mortem Valentis, quo regnante undecim annos exsulaverat, restitutus octo annis inconcussum episcopatum gessit. Anno 381 concilio Constantinopolitano interfuit. Mortem obiit die XVIII. mensis Martis anno 386.

Prioribus vitae annis Cyrillus aliquamdiu in fide nutasse videtur. In opere suo catechetico Arianis saepe obloquitur, nusquam vero voce *ὁμοούσιος* utitur, et Socrates eum concilio 381 adfuisse narrans addit (h. e. V 8): *τότε ἐξ μεταμελείας τῷ ὁμοουσίῳ προσκείμενος.* Summis eum laudibus extulerant patres concilii Constantinopolitani 382 (Theodoretus h. e. V 9): *Τῆς δέ γε μητρὸς ἁπασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις τὸν αἰδεσιμώτατον καὶ θεοφιλέστατον Κύριλλον ἐπίσκοπον εἶναι γνωρίζομεν κανονικῶς τε παρὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας χειροτονηθέντα πάλαι καὶ πλεῖστα πρὸς τοὺς Ἀριανοὺς ἐν διαφόροις τόποις ἀθλήσαντα.* At sunt, qui aliter de electione eius episcopali iudicent. Socrates narrat (h. e. II 38): *Ἀκάκιος* (Arianus metropolita Caesariensis) *καὶ Πατρόφιλος Μάξιμον τὸν Ἱεροσολύμων ἐξωθήσαντες Κύριλλον ἀντικατέστησαν.* Hieronymus autem scribit (chron. ad a. 349): ‘Cyrillus cum a Maximo fuisset presbyter ordinatus et post mortem ei ab Acacio episcopo Caesariensi et ceteris Arianis episcopis episcopatus promitteretur, si ordinationem Maximi repudiasset, diaconus in ecclesia ministravit; ob quam impietatem sacerdotii mercede pensatus Heraclium, quem moriens Maximus in suum locum restituerat, varia fraude sollicitans de episcopo in presbyterum regradavit.’

Uno tantum opere catechetico s. Cyrillus inter scriptores ecclesiasticos eminet; nam praeter catecheses Epistula tantum ad imperatorem Constantium de signo lucidae crucis Hierosolymis anno 351 viso et Homilia in paralyticum iuxta piscinam iacentem ab eo ad nos pervenerunt. Catecheses eius exstant viginti tres et procatechesis; omnes anno 347 vel 348 Hierosolymis ab eo dictae et per tachygraphos inter ipsam pronuntiationem litteris consignatae sunt.

Duplex catechesium s. Cyrilli genus distinguendum est. Catecheses XVIII priores et procatechesim intra quadragesimam ad baptizandos (*φωτιζόμενοι*) habuit ita, ut tribus primis de paenitentia et de baptismo ageret, in quarta summam doctrinae christianae proponeret, a quinta usque ad duodevicesimam articulos symboli Hierosolymitani omnes deinceps explanaret. Catecheses vero XIX.—XXIII. inscribuntur mystagogicae (*μυσταγωγικαί*); hae enim ad neobaptizatos (*νεοφώτιστοι*) hebdomade paschali a feria secunda usque ad sabbatum dictae sunt et agunt de baptismo (XIX—XX), de chrismate (XXI), de s. eucharistia et missae sacrificio (XXII—XXIII).

Catecheses sancti Cyrilli ab omnibus semper plurimi aestimatae sunt. Vir fuit mentis sincerae et ingenii acris; neque vocibus subtilius eligendis studet neque longioribus utitur periodis, sed oratione facili perspicuaque et more conversationis familiaris auditores de rebus altissimis instruit et ad leges divinas servandas paterna clementia inducit. Id unum spectat, ut veritas catholica quam accu-

ratissime ab opinionibus humanis commentisque haereticorum distincta tuto a suis percipiatur memoriaeque mandetur. Maximi autem pretii sunt catecheses mystagogicae, propterea quod veteres propter disciplinam arcani de mysteriis ecclesiae pauca eaque satis obscura tradiderunt. In catechesi XXII. Cyrillus transmutari panem et vinum in corpus et sanguinem Christi apertissime docet; in cat. XXIII. epiclesim spiritus sancti et commemorationem vivorum mortuorumque iam tum in missa locum habuisse testatur.

Catecheses mystagogicas cum interpretatione latina primus edidit Grodecius, Viennae Austriae 1560; totum vero opus catecheticum Cyrilli una cum Epistula ad Constantium et latina versione adiecta primus typis expressit Iohannes Prevotius, Parisiis 1608. Multo accuratius S. Cyrilli opera quae supersunt omnia edidit Thomas Millesius, Londini 1703 fol., ex codice equitis Thomae Roe et ad varias lectiones a Casaubono ex codice quodam conlectas. Praeclarissima omnium est recensio Augustini Touttée e congregatione sancti Mauri, quam post mortem eius praematuram vulgavit Prudentius Maranus, Paris. 1720 fol.; hanc iteravit Migne patr. gr. vol. XXXIII. Commendanda est etiam recentior editio curata a professoribus Ambergensibus Reischl et Rupp, 2 vol. 8⁰, Monaci 1848 et 1860; Rupp, qui alterum huius editionis volumen, quo catecheses mystagogicae continentur, curavit, recensionem Toutteanam praecipue ad fidem antiquioris codicis Monacensis (nr. 394 saec. X) passim emendavit.

Postremo catecheses s. Cyrilli Hierosolymis ex schedis magistri Kleopae cuiusdam edidit Photios Alexandrides (2 vol., 1867 et 1868) adhibito codice A, qui adservatur in insula Cypro in bibliotheca archimandritae; at in hac editione catecheses mystagogicae prorsus desiderantur. — Aliquot capita catechesium mystagogicarum Lietzmann edidit in: Liturgische Texte I, Bonnae 1903 (Kleine Texte für Theologische Vorlesungen, nr. 5).

Equidem in editione mea textum graecum ex editionibus Touttée et Rupp et Lietzmann refinxi et versionem latinam passim emendavi.

Τοῦ αὐτοῦ κατηχητικοὶ λόγοι
πρὸς τοὺς νεοφωτίστους
πέντε

Μυσταγωγικὴ πρώτη κατήχησις.

Πρὸς τοὺς νεοφωτίστους.

Καὶ ἀνάγνωσις ἐκ τῆς Πέτρου καθολικῆς πρώτης ἐπιστολῆς ἀπὸ τοῦ „νήψατε γρηγορήσατε“ ἕως τέλους τῆς ἐπιστολῆς [5,8—14].

1. *Ἐπόθουν ὑμῖν καὶ πάλαι, ὦ γνήσια καὶ περιπόθητα τῆς ἐκκλησίας τέκνα, περὶ τῶν πνευματικῶν τούτων καί ἐπουρανίων διαλεχθῆναι μυστηρίων. Ἀλλ' ἐπειδὴ σαφῶς ἠπιστάμην*[a] *ὄψιν ἀκοῆς πολλῷ πιστοτέραν εἶναι, ἀνέμενον τὸν παρόντα καιρόν, ἵνα εὐπροσαγωγοτέρους ὑμᾶς περὶ τῶν λεγομένων ἐκ ταύτης λαβὼν τῆς πείρας εἰς τὸν φωτεινότερον καὶ εὐωδέστερον λειμῶνα τοῦδε τοῦ παραδείσου χειραγωγήσω· ἄλλως τε*[b] *καὶ χωρητικοὶ τῶν θειοτέρων κατέστητε μυστηρίων, θείου καὶ ζωοποιοῦ βαπτίσματος ἀξιωθέντες. Ἐπεὶ τοίνυν λοιπὸν τῶν ἐντελεστέρων δεῖ*[c] *μαθημάτων παρατιθέναι τράπεζαν, φέρε ταῦτα ὑμᾶς ἀκριβῶς παιδεύσωμεν, ἵνα*

Eiusdem catecheticae orationes
ad recens inluminatos
quinque.

Mystagogica prima catechesis.

Ad recens inluminatos.

Et lectio ex prima Petri catholica epistola ab his verbis *sobrii estote vigilate* usque ad finem epistulae.

1. Desiderabam vobis iam pridem, o germani et desideratissimi ecclesiae filii, de his spiritualibus caelestibusque mysteriis disserere. Verum quoniam plane gnarus eram, oculorum esse maiorem quam aurium fidem, praesens tempus exspectavi, ut ex ista vos experientia ad ea quae dicenda erant ductu faciliores adsumens ad lucidius fragrantiusque paradisi huiusce pratum manu ducerem; ac praeterea diviniorum quoque capaces facti estis mysteriorum, divino ac vivificante lavacro digni habiti. Quoniam igitur perfectiorum praeceptorum mensa adponenda est, age de his vos accuratius erudiamus, ut vim

[a] *ita m (cod. Monacensis nr. 394, a Rupp titulatus m_1) et Casaub, ἐπιστάμην m_2 (cod. Monacensis alter, a Rupp titulatus m_2) Roe coisl. Touttée.* [b] *ita Rupp, δέ ceteri omnes.* [c] *ὑμῖν δεῖ Rupp cum m.*

εἰδῆτε τὴν ἔμφασιν τὴν πρὸς ὑμᾶς κατ' ἐκείνην γεγενημένην τοῦ βαπτίσματος τὴν ἑσπέραν.

2. Εἰσῆειτε πρῶτον εἰς τὸν προαύλιον τοῦ βαπίσματος[a] οἶκον[1], καὶ πρὸς τὰς δυσμὰς ἑστῶτες ἠκούσατε, καὶ προσετάττεσθε ἐκτείνειν τὴν χεῖρα, καὶ ὡς παρόντι ἀπετάττεσθε τῷ σατανᾷ. Χρὴ δὲ τοῦτο ὑμᾶς εἰδέναι, ὅτι ἐν παλαιᾷ ἱστορίᾳ οὗτος κεῖται ὁ τύπος. Ὅτε γὰρ Φαραώ, ὁ πικρότατος καὶ ὠμότατος τύραννος, κατέθλιβε τῶν Ἑβραίων τὸν ἐλεύθερον λαὸν καὶ εὐγενῆ, ὁ θεὸς ἀπέστειλε τὸν Μωσῆν ἐξάγειν αὐτοὺς ἐκ τῆς πονηρᾶς τῶν Αἰγυπτίων δουλείας. Καὶ αἵματι μὲν ἀμνοῦ ἐχρίοντο αἱ φλιαί, ἵνα φύγῃ ὁ ὀλοθρεύων τοὺς τὸ σημεῖον ἔχοντας τοῦ αἵματος οἴκους, παραδόξως δὲ ἠλευθεροῦτο ὁ τῶν Ἑβραίων λαός. Ἐπειδὴ δὲ καὶ ἐλευθερωθέντας ὁ ἐχθρὸς κατεδίωξε καὶ παραδόξως εἶδε τὴν θάλασσαν αὐτοῖς τεμνομένην, ὅμως ἐχώρει, ἴχνη ἴχνεσι συμβάλλων, καὶ παραχρῆμα ὑποβρύχιος ἐγένετο καταποντούμενος ἐν θαλάσσῃ ἐρυθρᾷ.

illam atque operationem cognoscatis, quae in vobis illa baptismatis vespera effecta est.

2. Primum ingressi estis in vestibulum baptisterii atque occidentem versus stantes audivistis, iussique estis manum extendere, et tamquam praesenti abrenuntiastis satanae. Scire autem vos oportet huius rei figuram veteri historia contineri. Nam cum acerbissimus et immitissimus rex Pharao liberum ac generosum Hebraeorum populum obprimeret, deus Moysen misit, qui eos ex aerumnosa Aegyptiorum servitute educeret. Ac sanguine quidem agni postes ungebantur, ut domos sanguinis notam habentes vastator praeteriret, Hebraeorum vero populus miris plane modis in libertatem adsertus est. Ut vero liberatos hostis persecutus est et mare ipsis, mirum dictu, divisum conspexit, tamen ipse perrexit, vestigia vestigiis coniungens, extemploque submersus est maris rubri fluctibus obrutus.

[a] *ita Lietzmann cum m, Roe, Casaub., coislin.; βαπτιστήριον ceteri.*

[1] Pro *προαύλιον τοῦ βαπτίσματος οἶκον* postea (nr. 11) *ἐξώτερος οἶκος* legitur. Secundum s. Ambrosium (de myst. 2, 5—7) abrenuntiatio satanae in baptisterio ipso, non in vestibulo baptisterii, fiebat.

3. *Μετάβηθί μοι λοιπὸν ἀπὸ τῶν παλαιῶν ἐπὶ τὰ νέα, ἀπὸ τοῦ τύπου ἐπὶ τὴν ἀλήθειαν. Ἐκεῖ Μωσῆς εἰς Αἴγυπτον ἀπὸ τοῦ θεοῦ πεμπόμενος, ἐνταῦθα Χριστὸς ἐκ τοῦ πατρὸς εἰς τὸν κόσμον ἀποστελλόμενος· ἐκεῖ, ἵνα ἐξαγάγῃ λαὸν ἐξ Αἰγύπτου θλιβόμενον, ὧδε Χριστός, ἵνα ῥύσηται τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ ὑπὸ τῆς ἁμαρτίας καταπονουμένους· ἐκεῖ αἷμα ἀμνοῦ ὀλοθρευτοῦ ἦν ἀποτρόπαιον, ἐνταῦθα τοῦ ἀμνοῦ τοῦ ἀμώμου Ἰησοῦ Χριστοῦ τὸ αἷμα δαιμόνων καθέστηκε φυγαδευτήριον. Ἐκεῖνος ὁ τύραννος κατεδίωκεν ἕως θαλάσσης τὸν παλαιὸν ἐκεῖνον λαόν, καὶ σοὶ ὁ ἰταμός, ὁ ἀναίσχυντος καὶ ἀρχέκακος οὗτος δαίμων ἕως αὐτῶν ἠκολούθει τῶν σωτηρίων ναμάτων. Ἐκεῖνος ὑποβρύχιος γέγονεν ἐν θαλάσσῃ, καὶ οὗτος ἐν τῷ σωτηρίῳ ὕδατι ἀφανίζεται.*

3. Nunc mihi a veteribus ad nova, a figura ad veritatem transgredere. Illic Moyses in Aegyptum a deo mittitur, hic Christus, a patre in mundum delegatur; ibi, ut obpressum populum ex Aegypto educeret, hic Christus, ut laborantes in mundo sub onere peccati liberaret; illic agni sanguis vastatoris averruncatio fuit, hic agni immaculati Iesu Christi sanguis daemonum propulsatio exstitit. Rex ille veterem illum populum usque ad mare insecutus est, et te audax ille, impudens malorumque princeps daemon ad salutares usque fontes subsecutus est. Ille in mari submersus est, et iste in salutari aqua evanescit.

4. *Ἀλλ' ὅμως ἀκούεις τεταμένῃ τῇ χειρὶ ὡς πρὸς παρόντα εἰπεῖν*[1]· *ἀποτάσσομαί σοι, σατανᾶ. Βούλομαι καί, τίνος ἕνεκεν ἵστασθε πρὸς δυσμάς, εἰπεῖν· ἀναγκαῖον γάρ. Ἐπειδὴ τοῦ φαινομένου σκότους τόπος αἱ δυσμαί, ἐκεῖνος δὲ σκότος τυγχάνων ἐν σκότῳ ἔχει καὶ τὸ κράτος, τούτου χάριν συμβολικῶς πρὸς δυσμὰς ἀποβλέποντες*

4. Verumtamen tibi praecipi audis, ut extensa tamquam ad praesentem manu dicas: Abrenuntio tibi, satana. Volo et, quamobrem occidentem versus stetis, dicere; necesse est enim. Quoniam manifestarum tenebrarum locus est occidens, ille vero, cum ipse sit tenebrae, etiam in tenebris imperium habet, iccirco

[1] Confer Ambros. de myst. 2, 7.

ἀποτάσσεσθε τῷ σκοτεινῷ ἐκείνῳ καὶ ζοφερῷ ἄρχοντι.

Τί οὖν ὑμῶν ἕκαστος ἑστὼς ἔλεγεν; Ἀποτάσσομαί σοι, σατανᾶ, σοὶ τῷ πονηρῷ καὶ ὠμοτάτῳ τυράννῳ, οὐκέτι σου δέδοικα, λέγων, τὴν ἰσχύν. Κατέλυσε γὰρ ταύτην Χριστὸς αἵματός μοι καὶ σαρκὸς κοινωνήσας, ἵνα διὰ τούτων καταργήσῃ θανάτῳ τὸν θάνατον, ὅπως μὴ διὰ παντὸς ἔνοχος γένωμαι δουλείας. Ἀποτάσσομαί σοι τῷ δολερῷ καὶ πανουργοτάτῳ ὄφει. Ἀποτάσσομαί σοι ἐπιβούλῳ ὄντι καὶ προσποιήσει φιλίας πράξαντι πᾶσαν παρανομίαν καὶ ἐμποιήσαντι τοῖς ἡμετέροις προγόνοις ἀποστασίαν. Ἀποτάσσομαί σοι, σατανᾶ, τῷ πάσης κακίας δημιουργῷ καὶ συνεργῷ.

5. Εἶτα ἐν δευτέρᾳ λέξει μανθάνεις λέγειν· καὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις σου. Ἔργα δὲ τοῦ σατανᾶ πᾶσά ἐστιν ἡ[a] ἁμαρτία, ᾗ καὶ ἀποτάσσεσθαι ἀναγκαῖον, ὡσεὶ καὶ τύραννόν τις ἀποφυγὼν πάντως που καὶ τὰ τούτου ὅπλα ἀπέφυγε. Πᾶσα οὖν κατ' εἶδος ἁμαρτία ἐγκατείλεκται τοῖς τοῦ διαβόλου ἔργοις. Πλὴν τοῦτο ἴσθι, ὅτι, ὅσα λέγεις, μάλιστα κατ' ἐκείνην τὴν φρικωδεστάτην ὥραν, ἔγγραφά

symbolice ad occasum respicientes tenebricoso illi et caliginoso principi abrenuntiatis.

Quid igitur unusquisque vestrum stans dixit? Abrenuntio tibi, satana, tibi maligno ac dirissimo tyranno; non amplius, ais, timeo tuam potentiam. Hanc enim dissolvit Christus sanguinis et carnis mecum particeps factus, ut per haec mortem morte aboleret, ut ne perpetuo obnoxius essem servituti. Abrenuntio tibi callido et vaferrimo serpenti. Abrenuntio tibi, qui insidiator es et simulatione amicitiae omnem iniquitatem perpetrasti proavisque nostris defectionem inspirasti. Abrenuntio tibi, satana, cuiusvis improbitatis et auctori et ministro.

5. Deinde in secunda formula dicere discis: et omnibus operibus tuis. Opera satanae omne peccatum est, cui abrenuntiare necesse est, quemadmodum, si quis superbum regem effugit, protinus arma quoque ipsius abiecit. Omne igitur peccati genus diaboli operibus accensetur. Verumtamen illud te scire oportet, quaecumque illa praesertim formidabili hora dicis, in dei

[a] *om. Rupp cum m et* m_2.

ἐστι ἐν τοῖς τοῦ θεοῦ βιβλίοις· ἐπειδὰν τοίνυν ἐναντίον τι διαπραττόμενος τούτοις ᾖς, ὡς παραβάτης κριθήσῃ. Ἀποτάσσῃ τοίνυν τοῖς ἔργοις τοῦ σατανᾶ, πάσαις φημὶ πράξεσι καὶ ἐννοίαις παρὰ λόγον γινομέναις[a].

6. Εἶτα λέγεις· καὶ πάσῃ τῇ πομπῇ σου[b]. Πομπὴ δὲ διαβόλου ἐστὶ θεατρομανίαι[c] καὶ ἱπποδρομίαι, κυνηγεσία καὶ πᾶσα τοιαύτη ματαιότης, ἧς εὐχόμενος ἐλευθερωθῆναι ὁ ἅγιος τῷ θεῷ λέγει. Ἀπόστρεψον τοὺς ὀφθαλμούς μου τοῦ μὴ ἰδεῖν ματαιότητα. Μὴ περισπούδαστός σοι ἔστω ἡ θεατρομανία, ἔνθα τὰς ἀσελγείας τῶν μίμων ὄψῃ, ὕβρεσι πεπραγμένας καὶ πάσῃ ἀσχημοσύνῃ, ἐκτεθηλυσμένων τε ἀνδρῶν ἐμμανεῖς ὀρχήσεις· μήτε ἡ τῶν ἐν κυνηγίοις ἑαυτοὺς θηρίοις ἐκδιδόντων, ἵνα τὴν ἀθλίαν κόλακεύσωσι γαστέρα· οἵ, ἵνα κοιλίαν τροφαῖς θεραπεύσωσιν, αὐτοὶ γαστρὸς ἀτιθάσων ἀληθῶς τροφὴ γίνονται θηρίων, ἵνα δὲ δικαίως εἴπω, ὑπὲρ οἰκείου θεοῦ τῆς κοιλίας τὴν ἑαυτῶν ζωὴν κατὰ κρημνῶν[d] μονομαχοῦσι. Φεῦγε καὶ τὰς ἱπποδρομίας, τὸ ἐμμανὲς θέα-

libris scripto consignata haberi; quando igitur his quidpiam contrarii admiseris, ut praevaricator iudicaberis. Itaque renuntias satanae operibus, omnibus inquam actionibus et cogitationibus, quae fiunt praeter rationem.

6. Postea dicis: et omni pompae tuae. Pompa vero diaboli sunt theatrorum insaniae, equorum cursus, venationes in circo et reliqua huiusmodi vanitas, qua ut liberetur, precans sanctus deo dicit: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Ne tibi cordi sit theatri insania, ubi conspicias mimorum petulantias omni contumelia et dedecore abundantes atque effeminatorum virorum saltationes effrenatas; neve iliorum insaniae studeas, qui in circensibus venationibus sese feris exponunt, ut infelicem alvum demulceant; qui, ut ventrem alimentis deleniant, ipsi revera ventris immitium bestiarum pabulum fiunt atque, ut rectius dicam, pro ventre, quem unum deum noverunt, suam vitam quasi in praecipitium abicientes singularibus certaminibus

[a] *ita Rupp cūm* m_2 *et vindob.*, γιγνομέναις *m*, γενομέναις *Tou.* [b] *ita Lietzmann cum m*, αὐτοῦ *cet.* [c] θέατρον μαγγανεῖαι *Lietzmann cum m.* [d] τὴν ἑαυτῶν ζωὴν μετὰ κρημνῶν *om. m, uncis includit Rupp.*

μα καὶ ψυχὰς ἑκτραχηλίζον· ταῦτα γὰρ πάντα πομπή ἐστι τοῦ διαβόλου.

depugnant. Fuge etiam equorum curricula, quod prorsus insanum est spectaculum animasque praecipites agit; haec enim omnia diaboli sunt pompa.

7. *Ἀλλὰ καὶ τὰ ἐν εἰδωλικαῖς*[a] *πανηγύρεσι κρεμώμενα, ἔσθ' ὅτε κρέα ἢ ἄρτοι ἢ ἄλλα τοιαῦτα*[1]*, μιανθέντα τῇ τῶν παμμιάρων ἐπικλήσει δαιμόνων, τῇ τοῦ διαβόλου πομπῇ ἐγκαταλέγεται. Ὥσπερ γὰρ ὁ ἄρτος καὶ ὁ οἶνος τῆς εὐχαριστίας πρὸ τῆς ἁγίας ἐπικλήσεως*[b][2] *καὶ προσκυνητῆς τριάδος ἄρτος ἦν καὶ οἶνος λιτός, ἐπικλήσεως δὲ γενομένης ὁ μὲν ἄρτος γίνεται σῶμα Χριστοῦ, ὁ δὲ οἶνος αἷμα Χριστοῦ, τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον τὰ τοιαῦτα βρώματα τῆς πομπῆς τοῦ σατανᾶ, τῇ ἰδίᾳ φύσει λιτὰ ὄντα, τῇ ἐπικλήσει τῶν δαιμόνων βέβηλα γίνεται.*

7. Sed et illa, quae in idolorum sollemnitatibus suspendi solent, sive carnes sive panes vel alia eiusdem modi, impurissimorum daemonum invocatione contaminata, diaboli pompae accensentur. Quemadmodum enim panis et vinum eucharistiae ante sanctam adorandae trinitatis invocationem communis panis et vinum erat, invocatione autem facta panis fit corpus Christi et vinum sanguis Christi, ita et huiusmodi esculenta ad pompam satanae pertinentia, cum ex natura sua communia sint, invocatione daemonum profana redduntur.

8. *Μετὰ ταῦτα λέγεις· καὶ πάσῃ τῇ λατρείᾳ σου. Λατρεία δέ ἐστι διαβόλου ἡ ἐν εἰδωλείοις εὐχή, τὰ πρὸς τιμὴν γινόμενα τῶν*[c] *ἀψύχων εἰδώλων, τὸ ἅπτειν λύχνους ἢ θυμιᾶν παρὰ πηγὰς ἢ ποταμούς, ὥς τινες ἀπ' ὀνειράτων*

8. Post haec dicis: Et omni cultui tuo. Cultus diaboli est habita in idolorum delubris supplicatio, quae ad honorem inanimorum simulacrorum fiunt, accendere lucernas aut odoribus suffire ad fontes vel fluvios,

[a] *εἰδωλείοις καὶ Lietzmann, εἰδωλίοις καὶ m.* [b] *πρὸ τῆς ἐπικλήσεως τῆς ἁγίας Rupp cum m.* [c] *om. Rupp.*

[1] In sollemnitatibus idolorum publici mercatus frequentes erant.
[2] *Ἐπίκλησις* hoc loco totam precem eucharisticam significat, non eam partem, qua in orientalibus liturgiis post verba biblica institutionis ss. sacramenti spiritus sanctus super oblata invocatur.

ἢ ἐκ δαιμόνων ἀπατηθέντες ἐπὶ τούτους[a] διέβησαν, οἰόμενοι καὶ σωματικῶν παθῶν τὴν ἴασιν εὑρήσειν, ἢ τοιαῦτα· μὴ τοίνυν αὐτὰ μετέλθῃς. Οἰωνοσκοπία, μαντεία, κληδονισμοὶ ἢ περιάμματα ἢ ἐν πετάλοις ἐπιγραφαί[1], μαγεῖαι ἢ ἄλλαι κακοτεχνίαι καὶ ὅσα τοιαῦτα, λατρεῖαί εἰσι[b] διαβόλου. Φεῦγε οὖν ταῦτα· ἐὰν γὰρ τούτοις ὑποπέσῃς μετὰ τὴν ἀπόταξιν τοῦ σατανᾶ καὶ τὴν πρὸς τὸν Χριστὸν σύνταξιν, πικροτέρου πειρασθήσῃ τοῦ τυράννου, ἴσως ὡς οἰκεῖον περιέποντος πάλαι καὶ τῆς πικρᾶς ἀνιέντος σε δουλείας, νῦν δὲ σφόδρα παρὰ σοῦ καταπικρανθέντος· καὶ τοῦ Χριστοῦ στερηθήσῃ κἀκείνου πειρασθήσῃ.

quemadmodum nonnulli somniis aut daemonum fraude delusi ad eos accesserunt, opinati se ibi corporis quoque infirmitatum medelam reperturos, vel alia huius generis. Ne igitur hisce studeas. Augurium, divinatio, ominationes, aut amuleta aut in laminis inscriptiones, magiae aliaeve malae artes, quaeque illis similia, cultus sunt diaboli. Haec igitur fuge; si enim illis succubueris, postquam satanae renuntiasti et Christo te adiunxisti, crudeliorem tyrannum experieris, qui olim fortassis te ut familiarem tractabat duramque tibi servitutem remittebat, nunc vero vehementer a te est exacerbatus: et Christo privaberis et illum experieris.

Οὐκ ἤκουσας παλαιᾶς ἱστορίας τὰ περὶ τοῦ Λὼτ ἡμῖν καὶ τῶν τούτου θυγατέρων διηγουμένης; Οὐχὶ αὐτὸς μὲν σέσωσται μετὰ τῶν θυγατέρων, ἐπειδὴ τὸ ὄρος κατείληφεν, ἡ δὲ τούτου γυνὴ στήλη γέγονεν ἁλός, ἐστηλιτευμένη δι' αἰῶνος[2] ἔχουσα τῆς πονηρᾶς προαιρέσεως καὶ ὑποστροφῆς τὴν

Numquamne audiisti, quae nobis vetus historia de Lot eiusque filiabus narret? Nonne ipse quidem cum filiabus incolumis servatus est, cum in montem evasisset, eius autem uxor statua salis effecta est, in aeternum monumentum posita, quae pravi adfectus et intempestivae con-

[a] τοῦτο *Rupp cum m; ἐπὶ τούτους διέβησαν deest in compluribus codd.* [b] λατρεία ἐστὶ *Lietzmann cum m.*

[1] Damnat auctor laminas certis characteribus vel figuris signatas, quas pagani et christiani superstitionibus paganicis infecti amuletorum loco in suis vel parvulorum collis suspendebant. [2] Sap. 10, 7.

μνήμην; Πρόσεχε τοίνυν σεαυτῷ, καὶ μὴ στρέφου πάλιν εἰς τὰ ὀπίσω, βαλὼν τὴν χεῖρα ἐπ' ἄροτρον[1] καὶ στρέφων πάλιν εἰς τὴν ἁλμυρὰν τοῦ βίου τούτου πρᾶξιν· ἀλλὰ φεῦγε εἰς τὸ ὄρος πρὸς Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν τμηθέντα λίθον ἄνευ χειρῶν καὶ τὴν οἰκουμένην πληρώσαντα[2].

9. Ὅτε οὖν τῷ σατανᾷ ἀποτάττῃ, πᾶσαν τὴν πρὸς αὐτὸν πατῶν διαθήκην, λύεις[a] τὰς παλαιὰς πρὸς τὸν ᾅδην συνθήκας, ἀνοίγεταί σοι ὁ παράδεισος τοῦ θεοῦ, ὃν ἐφύτευσε κατὰ ἀνατολάς, ὅθεν διὰ τὴν παράβασιν ἐξόριστος γέγονεν ὁ ἡμέτερος προπάτωρ. Καὶ τούτου σύμβολον τὸ στραφῆναί σε ἀπὸ δυσμῶν πρὸς ἀνατολήν, τοῦ φωτὸς τὸ χωρίον. Τότε σοι ἐλέγετο εἰπεῖν· Πιστεύω εἰς τὸν πατέρα καὶ εἰς τὸν υἱὸν καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα καὶ εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας. Περὶ ὧν ἐν ταῖς προτέραις κατηχήσεσιν, ὡς ἡ τοῦ θεοῦ χάρις ἔδωκεν, ἐν πλάτει σοι εἴρηται.

10. Τούτοις οὖν ἀσφαλιζόμενος τοῖς λόγοις νῆφε. Ὁ γὰρ ἀντίδικος ἡμῶν διάβολος, καθὼς ἀρτίως ἀνέγνωσται, ὡς λέων ὠρυό-

versionis memoriam haberet? Proinde attende tibi ipse neve rursum retro convertaris, ut, cum ad aratrum manum miseris rursus ad salsam huius vitae conversationem te vertas; verum in montem fuge ad Iesum Christum, illum sine manibus excisum lapidem, qui totum orbem replevit.

9. Quando igitur satanae renuntias, omne cum illo pactum calcans vetera cum inferno foedera dissolvis, aperitur tibi dei paradisus, quem ad orientem plantavit, ex quo propter peccatum primus noster parens exsul factus est. Et huius rei symbolum est, quod ab occasu ad ortum, qui lucis est regio, te convertisti. Tunc dicere iussus es: Credo in patrem et in filium et in sanctum spiritum et in unum baptisma paenitentiae. Quibus de rebus in prioribus catechesibus, quantum dei gratia concessit, prolixius tibi disseruimus.

10. His igitur praemunitus sermonibus vigila. Adversarius enim noster diabolus, ut modo lectum est, tamquam leo rugiens

[a] *ita Lietzmann cum m, πάντως διαθήκην λύσας ceteri.*

[1] Luc. 9, 62. [2] Dan. 2, 34.

μενος περιπατεῖ, ζητῶν, τίνα καταπίῃ[1]. Ἀλλ' ἐν μὲν τοῖς πρὸ τούτου χρόνοις κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας· ἐπὶ δὲ τοῦ ἁγίου τῆς παλιγγενεσίας λουτροῦ ἀφεῖλεν ὁ θεὸς πᾶν δάκρυον ἀπὸ παντὸς προσώπου. Οὐκ ἔτι γὰρ πενθήσεις, ἐκδεδυμένος τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον, ἀλλὰ πανηγυρίσεις, ἐνδεδυμένος τὸ ἱμάτιον σωτηρίου Ἰησοῦν Χριστόν[2].

11. Καὶ ταῦτα ἐν τῷ ἐξωτέρῳ ἐγίνετο οἴκῳ. Θεοῦ δὲ θέλοντος, ὅταν ἐν ταῖς ἑξῆς μυσταγωγίαις εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων εἰσέλθωμεν, ἐκεῖ εἰσόμεθα τῶν αὐτόθι ἐπιτελουμένων τὰ σύμβολα. Τῷ δὲ θεῷ πατρὶ ἡ δόξα, κράτος, μεγαλωσύνη σὺν υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν.

circuit, quaerens quem devoret. Verum superioribus temporibus devorabat mors praevalens; sancto vero regenerationis lavacro abstulit deus omnem lacrimam ab omni facie. Non enim lugebis amplius, exuto vetere homine, sed potius festos dies ages, ut veste salutis indutus Iesu Christo.

11. Et haec quidem in exteriore aede sunt gesta. Deo autem volente, cum in proximis mystagogiis in sancta sanctorum ingressi erimus, ibi earum rerum, quae illic peraguntur, symbola cognoscemus. Deo vero patri sit gloria, imperium, magnificentia cum filio et sancto spiritu, in saecula saeculorum. Amen.

Κατήχησις μυσταγωγικὴ δευτέρα.

Περὶ βαπτίσματος.

Καὶ ἀνάγνωσις ἐκ τῆς πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῆς ἀπὸ τοῦ „ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι ὅσοι ἐβαπτίσθημεν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐβαπτίσθημεν;“ ἕως τοῦ „οὐ γάρ ἐστε ὑπὸ νόμον, ἀλλ' ὑπὸ χάριν“ [6, 3—14].

1. Χρήσιμαι ἡμῖν αἱ καθ' ἡ-

Catechesis mystagogica secunda.

De baptismate.

Et lectio ex epistula ad Romanos ab illo loco *An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christum Iesum in mortem ipsius baptizati sumus?* usque ad haec verba *Non enim estis sub lege, sed sub gratia.*

1. Utiles nobis sunt cotidia-

[1] 1 Petr. 5, 8. [2] Rom. 13, 14: Ἐνδύσασθε τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστόν.

μέραν μυσταγωγίαι καὶ διδασκαλίαι καινότεραι, καινοτέρων οὖσαι πραγμάτων[1] ἀπαγγελτικαί, καὶ μάλιστα ὑμῖν, τοῖς ἀνακαινισθεῖσιν ἀπὸ παλαιότητος εἰς καινότητα. Διὰ τοῦτο ἀναγκαίως ὑμῖν παραθήσομαι τὰ ἑξῆς τῆς χθεσινῆς μυσταγωγίας, ἵνα μάθητε, τίνων ἦν σύμβολα τὰ ὑφ' ὑμῶν ἐν τῷ ἐσωτέρῳ οἴκῳ γενόμενα.

2. Εὐθὺς οὖν εἰσελθόντες ἀπεδύεσθε τὸν χιτῶνα[2]· καὶ τοῦτο ἦν εἰκὼν τοῦ τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον ἀποδύεσθαι σὺν ταῖς πράξεσιν. Ἀποδυθέντες γυμνοὶ ἦτε, μιμούμενοι καὶ ἐν τούτῳ τὸν ἐπὶ σταυροῦ γυμνωθέντα Χριστόν, καὶ τῇ γυμνότητι ἀπεκδυσάμενον τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας, καὶ μετὰ παρρησίας[a] ἐν τῷ ξύλῳ θριαμβεύσαντα[3]. Ἐπειδὴ γὰρ τοῖς μέλεσι τοῖς ὑμετέροις ἐνεφώλευον αἱ ἀντικείμεναι δυνάμεις, οὐκ ἔτι φορεῖν ὑμῖν ἔξεστι τὸν παλαιὸν ἐκεῖνον χιτῶνα, οὐ τοῦτον πάντως λέγω τὸν αἰσθητόν, ἀλλὰ τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον τὸν φθειρόμενον ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῆς ἀπάτης[4]. Ὃν μὴ εἴη πάλιν ἐνδύσασθαι τῇ ἅπαξ τοῦτον ἀποδυσαμένῃ ψυχῇ, ἀλλὰ

nae mystagogiae novaeque semper doctrinae novarum rerum enuntiatrices, ac vobis praesertim, qui a vetustate in novitatem renovati estis. Propterea hesternae vobis institutionis consequentia necessario vobis adponam, ut addiscatis, quarum rerum symbola fuerint illa, quae a vobis in interiore aede peracta sunt.

2. Ut primum igitur ingressi estis, tunicam exuistis; quae veteris hominis cum actibus suis exspoliati imago erat. Exuti nudi eratis, in hoc quoque nudatum in cruce Christum imitantes, qui ea nuditate principatus et potestates exspoliavit deque illis confidenter triumphum in ligno egit. Quoniam enim in membris vestris delitescebant adversariae potestates, non licet vobis amplius veterem illam tunicam gestare; haudquaquam eam dico, quae sensibus percipitur, sed veterem hominem, qui corrumpitur in desideriis erroris. Quem ne iterum induat, quae semel exuit, anima, sed dicat cum sponsa Christi in

[a] παρρησίᾳ *Rupp sine causa.*

[1] i. e. sacramentorum, quae pridie paschatis administrabantur. [2] Baptizandi tunicam exuebant, ita ut omnino nudi toto corpore ungerentur et in piscinam intrarent. [3] Col. 2, 15. [4] Eph. 4, 22.

λέγειν κατὰ τὴν ἐν τῷ ᾄσματι τῶν ᾀσμάτων τοῦ Χριστοῦ νυμφην· „Ἐξεδυσάμην τὸν χιτῶνά μου, πῶς ἐνδύσομαι αὐτόν“ [1]*; Ὢ θαυμασίου πράγματος· γυμνοὶ ἦτε ἐν ὄψεσι πάντων καὶ οὐκ ἠσχύνεσθε. Ἀληθῶς γὰρ μίμημα ἐφέρετε τοῦ πρωτοπλάστου Ἀδάμ, ὃς ἐν τῷ παραδείσῳ γυμνὸς ἦν καὶ οὐκ ἠσχύνετο.*

Cantico canticorum: *Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa?* O rem admirandam! Nudi eratis in omnium conspectu nec erubescebatis. Revera enim primi parentis Adam imaginem ferebatis, qui in paradiso nudus erat nec erubescebat.

3. *Εἶτα ἀποδυθέντες ἐλαίῳ ἠλείφεσθε ἐξορκιστῷ* [2] *ἀπ' ἄκρων τριχῶν κορυφῆς ἕως τῶν κάτω, καὶ κοινωνοὶ ἐγίνεσθε τῆς καλλιελαίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ἐκκοπέντες γὰρ ἐκ τῆς ἀγριελαίου ἐνεκεντρίζεσθε εἰς τὴν καλλιέλαιον καὶ κοινωνοὶ ἐγίνεσθε τῆς πιότητος τῆς ἀληθινῆς ἐλαίας. Τὸ οὖν ἐξορκιστὸν ἔλαιον σύμβολον ἦν τῆς κοινωνίας τῆς πιότητος τοῦ Χριστοῦ, φυγαδευτήριον τυγχάνον παντὸς ἴχνους ἀντικειμένης ἐνεργείας. Ὥσπερ γὰρ τὰ ἐμφυσήματα τῶν ἁγίων καὶ ἡ τοῦ ὀνόματος τοῦ θεοῦ ἐπίκλησις ὥσπερ σφοδροτάτη φλὸξ καίει καὶ ἐκδιώκει δαίμονας, οὕτω καὶ τὸ ἐξορκιστὸν τοῦτο ἔλαιον ἐπικλήσει θεοῦ καὶ εὐχῇ δύναμιν τηλικαύτην λαμβάνει, ὥστε οὐ μόνον καῖον τὰ ἴχνη τῶν ἁμαρτημάτων ἀποκαθαίρειν, ἀλλὰ*

3. Deinde vero exuti exorcizato oleo perungebamini a summis verticis capillis usque ad infima et participes facti estis sincerae olivae Iesu Christi. Excisi enim ex oleastro inserti estis in sinceram olivam et consortes effecti estis pinguedinis verae olivae. Exorcizatum igitur oleum symbolum erat communicationis pinguedinis Christi, quod quidem omne adversariae potestatis vestigium fugat. Quemadmodum enim insufflationes sanctorum et invocatio nominis dei flammae instar vehementissimae daemones urit et expellit, ita exorcizatum illud oleum ex invocatione dei et oratione tantam vim sumit, ut non modo urendo peccatorum vestigia depurget, verum etiam omnes in-

[1] Cant. 5, 3. [2] Formulam, qua benedicebatur hoc oleum, habes in Const. apost. VII 42.

καὶ πάσας ἀοράτους τοῦ πονηροῦ ἐκδιώκειν τὰς δυνάμεις.

4. Μετὰ ταῦτα ἐπὶ τὴν ἁγίαν τοῦ θείου βαπτίσματος ἐχειραγωγεῖσθε κολυμβήθραν, ὡς ὁ Χριστὸς ἀπὸ τοῦ σταυροῦ ἐπὶ τὸ προκείμενον μνῆμα. Καὶ ἠρωτᾶτο ἕκαστος, εἰ πιστεύει εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Καὶ ὡμολογήσατε τὴν σωτήριον ὁμολογίαν, καὶ κατεδύετε τρίτον εἰς τὸ ὕδωρ[1] καὶ ἀνεδύετε πάλιν[a], καὶ ἐνταῦθα διὰ συμβόλου τὴν τριήμερον τοῦ Χριστοῦ αἰνιττόμενοι ταφήν. Καθάπερ γὰρ ὁ σωτὴρ ἡμῶν τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας ἐν τῇ κοιλίᾳ τῆς γῆς ἐποίησεν[2], οὕτω καὶ ὑμεῖς ἐν τῇ πρώτῃ ἀναδύσει τὴν πρώτην ἐμιμεῖσθε τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ γῇ ἡμέραν καὶ τῇ καταδύσει τὴν νύκτα· ὥσπερ γὰρ ὁ ἐν νυκτὶ οὐκέτι βλέπει, ὁ δὲ ἐν ἡμέρᾳ ἐν φωτὶ διάγει, οὕτως ἐν τῇ καταδύσει ὡς ἐν νυκτὶ οὐδὲν ἑωρᾶτε, ἐν δὲ τῇ ἀναδύσει ὡς ἐν ἡμέρᾳ ἐντυγχάνετε ὄντες. Καὶ ἐν τῷ αὐτῷ ἀπεθνήσκετε καὶ ἐγεννᾶσθε, καὶ τὸ σωτήριον ἐκεῖνο ὕδωρ καὶ τάφος ὑμῖν ἐγίνετο καὶ

visibiles mali spiritus vires in fugam convertat.

12. Ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου. Ἅγιόν ἐστι τῇ φύσει τὸ τοῦ θεοῦ ὄνομα, κἂν λέγωμεν κἂν μὴ λέγωμεν. Ἐπεὶ δὲ καὶ ἐν τοῖς ἁμαρτάνουσιν ἔσθ' ὅτε βεβηλοῦται κατὰ τὸ „δι' ὑμᾶς τὸ ὄνομά μου διὰ παντὸς βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσιν“[3], εὐχόμεθα ἐν ἡμῖν ἁγιασθῆναι τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ· οὐχ ὅτι ἐκ τοῦ μὴ εἶναι ἅγιον ἐπὶ τὸ εἶναι ἔρχεται, ἀλλ' ὅτι ἐν ἡμῖν ἅγιον γίνεται ἁγιαζομένοις καὶ ἄξια τοῦ ἁγιασμοῦ ποιοῦσιν.

13. Ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου. Καθαρᾶς ψυχῆς ἐστι τὸ σὺν παρρησίᾳ φάναι „ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου“. Ὁ γὰρ ἀκούσας Παύλου λέγοντος „μὴ οὖν βασιλευέτω ἡ ἁμαρτία ἐν τῷ θνητῷ ὑμῶν σώματι“[4], ἀλλὰ καθάρας

O maximam dei in homines clementiam! Tantam his, qui ab eo defecerunt atque in extrema mala inciderunt, iniuriarum oblivionem et gratiae societatem donavit, ut vel patrem sese adpellari voluerit. Pater noster qui es in caelis. Caeli autem etiam sunt ii, qui caelestis imaginem ferunt, in quibus est deus inhabitans et inambulans.

12. Sanctificetur nomen tuum. Sanctum est natura nomen dei, sive id dicimus sive non dicimus. Quia vero per peccantes quandoque profanatur secundum illud: *Per vos nomen meum tota die blasphematur in gentibus*, ideo oramus, ut in nobis sanctificetur nomen dei; non quo incipiat sanctum esse, quod antea sanctum non erat, sed quod in nobis fit sanctum, cum sanctificamur ipsi et digna sanctificatione agimus.

13. Veniat regnum tuum. Mundae animae est dicere cum fiducia: Veniat regnum tuum. Qui enim audiverit Paulum dicentem: *Non ergo regnet peccatum in mortali vestro corpore*, et seipsum opere et cogi-

[1] 1 Cor. 15, 49. [2] 2 Cor. 6, 16. [3] Rom. 2, 24; Is. 52, 5 [4] Rom. 6, 12.

ἑαυτὸν πράξει καὶ ἐννοίᾳ καὶ λόγῳ ἐρεῖ τῷ θεῷ· Ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου.

14. Γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. Οἱ θεῖοι καὶ μακάριοι τοῦ θεοῦ ἄγγελοι τὸ τοῦ θεοῦ θέλημα ποιοῦσι, καθὼς Δαβὶδ ψάλλων ἔλεγεν· „Εὐλογεῖτε τὸν κύριον πάντες οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ, δυνατοὶ ἰσχύι, ποιοῦντες τὰ θελήματα αὐτοῦ“ [1]. Δυνάμει τοίνυν εὐχόμενος τοῦτο λέγεις· Ὡς ἐν ἀγγέλοις γίνεταί σου τὸ θέλημα, οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς γῆς ἐν ἐμοὶ γένοιτο, δέσποτα.

15. Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον. Ὁ ἄρτος οὗτος ὁ κοινὸς οὐκ ἔστιν ἐπιούσιος· ἄρτος δὲ οὗτος ὁ ἅγιος [2] ἐπιούσιός ἐστιν, ἀντὶ τοῦ ἐπὶ τὴν οὐσίαν τῆς ψυχῆς καταταθσόμενος. Οὗτος ὁ ἄρτος οὐκ εἰς κοιλίαν χωρεῖ καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται, ἀλλ' εἰς πᾶσάν σου τὴν σύστασιν ἀναδίδοται εἰς ὠφέλειαν σώματος καὶ ψυχῆς. Τὸ δὲ σήμερον ἀντὶ τοῦ καθ' ἡμέραν λέγει, ὡς καὶ ὁ Παῦλος ἔλεγεν· „Ἄχρις οὗ τὸ σήμερον καλεῖται“ [3].

16. Καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς

tatione et sermone purum praestiterit, is deo dicet: Veniat regnum tuum.

14. Fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra. Divini ac beati angeli dei voluntatem dei faciunt, sicut David in psalmis dixit: Benedicite domino omnes angeli eius, potentes virtute, qui facitis voluntates eius. Cum igitur precaris, quasi hoc dicis: Quemadmodum in angelis voluntas tua fit, sic super terram in me fiat, domine.

15. Panem nostrum substantialem da nobis hodie. Panis iste communis non est substantialis; panis vero ille sanctus substantialis est, id est, ad substantiam animae constitutus. Hic panis non in ventrem vadit atque in secessum eicitur, sed in omnem tuam compagem ad utilitatem corporis et animae dividitur. Illud autem hodie dicitur pro cotidie, sicut et Paulus dicit: *Donec hodie cognominatur.*

16. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos

[1] Ps. 102, 20. [2] i. e. eucharistia (cfr. cat. myst. 4, 5).
[3] Hebr. 3, 13.

ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν. Πολλὰ γὰρ ἔχομεν ἁμαρτήματα· πταίομεν γὰρ καὶ ἐν λόγῳ καὶ ἐν διανοίᾳ καὶ πλεῖστα καταγνώσεως ἄξια ποιοῦμεν. Καὶ „ἐὰν εἴπωμεν ὅτι ἁμαρτίαν οὐκ ἔχομεν, ψευδόμεθα“, ὡς λέγει Ἰωάννης[1]. Καὶ πρὸς τὸν θεὸν τιθέμεθα συνθήκας, συγχωρῆσαι ἡμῖν παρακαλοῦντες τὰ ἁμαρτήματα, ὡς καὶ ἡμεῖς τοῖς πέλας τὰ ὀφειλήματα. Ἐννοοῦντες τοίνυν, ἀνθ' οἵων οἷα λαμβάνομεν, μὴ ἀναμείνωμεν μηδὲ ὑπερτιθώμεθα συγχωρεῖν ἀλλήλοις. Τὰ πταίσματα τὰ γινόμενα εἰς ἡμᾶς μικρά ἐστι καὶ εὐτελῆ καὶ εὐδιάλυτα, τὰ δὲ εἰς θεὸν ὑφ' ἡμῶν γενόμενα μεγάλα ἐστί, τῆς αὐτοῦ μόνης δεόμενα φιλανθρωπίας. Πρόσεχε οὖν, μὴ διὰ τὰ μικρὰ καὶ εὐτελῆ εἰς σὲ ἁμαρτήματα ἀποκλείσῃς σεαυτῷ τῶν βαρυτάτων ἁμαρτημάτων τὴν παρὰ θεοῦ συγχώρησιν.

dimitimus debitoribus nostris. Multa enim peccata habemus; nam et verbo et cogitatione offendimus et permulta condemnatione digna agimus. *Ac si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, mentimur*, ut ait Iohannes. Atque cum deo pacta inimus, orantes ut nobis condonet peccata, quemadmodum et nos proximis debita remittimus. Pensantes igitur, pro qualibus qualia accipiamus, ne cunctemur neve recusemus, quin mutuas inter nos offensiones remittamus. Quae in nos peccata admittimus, ea parva et levia sunt et facile ignoscuntur; quae vero in deum committimus, magna sunt et sola eius clementia diluuntur. Cave igitur ne propter parva et vilia in te admissa gravissimorum tibi ipsi peccatorum remissionem apud deum praecludas.

17. *Καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν, κύριε.* Ἆρα τοῦτο διδάσκει εὔχεσθαι ἡμᾶς, μηδόλως πειρασθῆναι, ὁ κύριος; Καὶ πῶς εἴρηται ἀλλαχοῦ· „Ἀνὴρ ἀπείραστος ἀδόκιμος“[2], καὶ πάλιν· „Πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε, ἀδελ-

17. Et ne nos inducas in tentationem, domine. Numquid dominus orare nos docet, ne omnino tentemur? Sed quomodo alibi dictum est: *Vir non tentatus non est probatus*, et iterum: *Summum gaudium*

[1] Ioh. 1, 8. [2] Haec sententia ore patrum trita in sacra scriptura nusquam legitur, neque quisqam ex patribus commemorat, quo ex loco eam deprompserit.

φοί μου, ὅταν πειρασμοῖς περιπέσητε ποικίλοις“ [1]. Ἀλλὰ μήποτε [τὸ][a] εἰσελθεῖν ἐστιν εἰς πειρασμὸν τὸ καταβαπτισθῆναι ὑπὸ τοῦ πειρασμοῦ· ἔοικε γὰρ ὁ πειρασμὸς ὥσπερ χειμάρρῳ τινὶ δυσκόλῳ πρὸς διάβασιν. Οἱ μὲν οὖν ἐν πειρασμοῖς μὴ καταβαπτιζόμενοι διαβαίνουσιν, ἄριστοί τινες κολυμβηταὶ γινόμενοι καὶ μηδόλως ὑπ᾽ αὐτῶν κατασυρόμενοι. Οἱ δὲ μὴ τοιοῦτοι εἰσιόντες καταβαπτίζονται· οἷον ὡς ἐπὶ παραδείγματος Ἰούδας εἰσελθὼν εἰς τὸν τῆς φιλοχρηματίας πειρασμὸν οὐ διενήξατο, ἀλλὰ καταβαπτισθεὶς καὶ σωματικῶς καὶ πνευματικῶς ἀπεπνίγη. Πέτρος εἰσῆλθεν εἰς τὸν τῆς ἀρνήσεως πειρασμόν, ἀλλὰ εἰσελθὼν οὐκ ἐβαπτίσθη, ἀλλὰ γενναίως διανηξάμενος ἐρρύσθη ἀπὸ τοῦ πειρασμοῦ.

Ἄκουε πάλιν ἀλλαχοῦ ὁλοκλήρων ἁγίων χοροῦ εὐχαριστοῦντος ἐπὶ τῷ[b] ἐξαιρεθῆναι τοῦ πειρασμοῦ· „Ἐδοκίμασας ἡμᾶς ὁ θεός, ἐπύρωσας ἡμᾶς ὡς πυροῦται τὸ ἀργύριον· εἰσήγαγες ἡμᾶς εἰς τὴν παγίδα, ἔθου θλίψεις ἐπὶ τὸν νῶτον ἡμῶν, ἐπεβίβασας ἀνθρώπους ἐπὶ τὰς κεφαλὰς ἡμῶν. Διήλθομεν διὰ πυρὸς καὶ ὕδατος, καὶ ἐξήγαγες

existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis? Sed forsitan in tentationem ingredi idem est atque tentatione submergi; nam tentatio torrenti ad traiciendum difficili similis est. Qui igitur in tentationibus non submerguntur, velut optimi natatores traiciunt et nullatenus eis detrahuntur; qui vero tales non sunt, ingressi demerguntur; qualis, ut exemplo utamur, Iudas fuit, qui in avaritiae tentationem ingressus non enatavit, sed submersus et corpore et spiritu subfocatus est. Petrus in denegationis tentationem introivit, ingressus vero mersus non est, sed fortiter tranans tentatione liberatus est.

Audi rursus alibi invulneratorum sanctorum chorum, quod a tentatione ereptus sit, gratias agentem: *Probasti nos, deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum; induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem*

[a] *Articulus τό, qui deest in codd. Roe et Casaub., recte a Rupp uncis includitur.*

[b] *ita Rupp, cum m. τοῦ ceteri.*

[1] Iac. 1, 2.

ἡμᾶς εἰς ἀναψυχήν“ [1]. Ὁρᾷς αὐτοὺς παρρησιαζομένους ἐπὶ τῷ [a] διελθεῖν καὶ μὴ ἐμπαρῆναι [b]. Καὶ ἐξήγαγες ἡμᾶς, φησίν, εἰς ἀναψυχήν· τὸ εἰς ἀναψυχὴν ἐλθεῖν αὐτούς ἐστι τὸ ἀπὸ πειρασμοῦ ῥυσθῆναι.

18. Ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Εἰ ἦν τὸ „μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν“ τὸ [c] τοῦ μηδόλως πειρασθῆναι παραστατικόν, οὐκ ἂν ἔλεγεν „ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ“. Πονηρὸς δὲ ὁ ἀντικείμενος δαίμων, ἀφ' οὗ ῥυσθῆναι εὐχόμεθα.

Εἶτα μετὰ πλήρωσιν τῆς εὐχῆς λέγεις ἀμήν, ἐπισφραγίζων διὰ τοῦ ἀμήν, ὃ σημαίνει γένοιτο, τὰ ἐν τῇ θεοδιδάκτῳ εὐχῇ.

19. Μετὰ ταῦτα λέγει ὁ ἱερεύς· Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. Ἅγια τὰ προκείμενα, ἐπιφοίτησιν δεξάμενα ἁγίου πνεύματος· ἅγιοι καὶ ὑμεῖς, πνεύματος ἁγίου καταξιωθέντες. Τὰ ἅγια οὖν τοῖς ἁγίοις κατάλληλα. Εἶτα ὑμεῖς λέγετε· Εἷς ἅγιος, εἷς κύριος, Ἰησοῦς Χριστὸς [2]. Ἀληθῶς γὰρ εἷς ἅγιος, φύσει ἅγιος· ἡμεῖς δὲ καὶ [d]

et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. Videsne eos confidenter exsultantes, quod traiecerint nec limo hausti sint? Et eduxisti nos, inquit, in refrigerium; quod dicit in refrigerium ipsos venisse est: tentatione liberatos esse.

18. Sed libera nos a malo. Si illud *Ne inducas nos in tentationem* significaret omnino non tentari, non adiecisset *Sed libera nos a malo.* Malus vero est adversarius daemon, a quo ut liberemur oramus.

Tum vero expleta oratione dicis amen, per illud amen, quod significat fiat, quaecumque hac a deo tradita oratione continentur obsignans.

19. His peractis dicit sacerdos: Sancta sanctis. Sancta sunt, quae proposita iacent, recepto spiritus sancti superventu; sancti et vos, spiritus sancti dono dignati. Sancta igitur sanctis conveniunt. Deinde vos subicitis: Unus sanctus, unus dominus, Iesus Christus. Revera enim unus est sanctus,

[a] *ita Rupp cum* m_2, *τὸ ceteri.* [b] *rectius ἐμπαγῆναι; cfr. ps. 68, 3. 15.* [c] *uncis includit Rupp, om.* m_2. [d] *κἂν Lietzmann.*

[1] Ps. 65, 10—12. [2] Eadem formula legitur apud Gregorium Nyssenum (lib. II contra Eunomium; ed. Paris. 1638, II 485) et in Const. apost. VIII 13.

ἅγιοι, ἀλλ' οὐ φύσει, ἀλλὰ μετοχῇ καὶ ἀσκήσει καὶ εὐχῇ.

20. Μετὰ ταῦτα ἀκούετε τοῦ ψάλλοντος μετὰ μέλους θείου προτρεπομένου ὑμᾶς εἰς τὴν κοινωνίαν τῶν ἁγίων μυστηρίων καὶ λέγοντος· Γεύσασθε καὶ ἴδετε, ὅτι χρηστὸς ὁ κύριος[1]. Μὴ τῷ λάρυγγι τῷ σωματικῷ ἐπιτρέπητε τὸ κριτικόν, οὐχί, ἀλλὰ τῇ ἀνενδοιάστῳ πίστει· γευόμενοι γὰρ οὐκ ἄρτου καὶ οἴνου κελεύονται γεύσασθαι, ἀλλὰ ἀντιτύπου[2] σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ.

21. Προσιὼν[3] οὖν μὴ τεταμένοις τοῖς τῶν χειρῶν καρποῖς προσέρχου μηδὲ διῃρημένοις τοῖς δακτύλοις· ἀλλὰ τὴν ἀριστερὰν θρόνον ποιήσας τῇ δεξιᾷ, ὡς μελλούσῃ βασιλέα ὑποδέχεσθαι, καὶ κοιλάνας τὴν παλάμην δέχου τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, ἐπιλέγων τὸ ἀμήν. Μετ' ἀσφαλείας οὖν

natura sanctus; nos autem etiam sancti, at non natura, sed participatione, exercitatione, voto.

20. Auditis deinde vocem psallentis, divina quadam melodia vos ad sanctorum mysteriorum communionem invitantis ac dicentis: Gustate et videte, quoniam suavis est dominus. Ne corporalibus faucibus huius rei iudicium permittatis, minime, sed fidei indubitatae. Qui enim gustant, non panem et vinum degustare iubentur, sed antitypum corporis et sanguinis Christi.

21. Adiens igitur ne expansis palmis neque disiunctis digitis accede, sed sinistram velut thronum subiciens dexterae, utpote regem suscepturae, et concava manu suscipe corpus Christi, respondens amen. Oculis vero caute sancti corporis contactu sanctificatis, illud percipe ad-

[1] Ps. 33, 9. [2] In cat. myst. 2, 5 baptismus *ἀντίτυπον τῶν τοῦ Χριστοῦ παθημάτων* et in cat. myst. 3, 1 chrisma *τοῦ ἁγίου πνεύματος τὸ ἀντίτυπον* adpellatur. Eucharistiae quarto saeculo nomen *ἀντίτυπον σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ* saepe datum est, ex. gr. a Macario (hom. 27, 17) et in Const. apost. (VII 25, 4) et a Cyrillo (hoc loco); in Canone Serapii (supra p. 27) pro *ἀντίτυπον* legitur *ὁμοίωμα*. Est autem eucharistia antitypum corporis et sanguinis Christi, quia Christum repraesentat non in statu naturali, sed sacramentali; vide Rauschen, Eucharistie p. 16.

[3] Communicaturi ad altare accedebant ibique stantes corpus domini manu accipiebant (Tert. de orat. 14; Eus. h. e. VII 9; Greg. Tur. h. Franc. IX 3). Sed concilium Laodicense saeculo quarto sanxit (can. 19), ut soli clerici intra cancellos communicarent.

ἁγιάσας τοὺς ὀφθαλμοὺς τῇ ἐπαφῇ τοῦ ἁγίου σώματος μεταλάμβανε, προσέχων, μὴ παραπολέσῃς τι ἐκ τούτου αὐτοῦ· ὅπερ γὰρ ἐὰν ἀπολέσῃς, τούτῳ ὡς ἀπὸ οἰκείου δηλονότι ἐζημιώθης μέλους. Εἰπέ γάρ μοι, εἴ τίς σοι ἔδωκε ψήγματα χρυσίου, οὐκ ἂν μετὰ πάσης ἀσφαλείας ἐκράτεις, φυλαττόμενος, μή τι αὐτῶν παραπολέσῃς καὶ ζημίαν ὑποστῇς; Οὐ πολλῷ οὖν μᾶλλον ἀσφαλέστερον τοῦ χρυσίου καὶ λίθων τιμίων τιμιωτέρου διασκοπήσεις ὑπὲρ τοῦ μὴ ψίχαν σοι ἐκπεσεῖν;

22. Εἶτα μετὰ τὸ κοινωνῆσαί σε τοῦ σώματος Χριστοῦ πρόσερχου καὶ τῷ ποτηρίῳ τοῦ αἵματος, μὴ ἀνατείνων τὰς χεῖρας, ἀλλὰ κύπτων καὶ τρόπῳ προσκυνήσεως καὶ σεβάσματος λέγων τὸ ἀμὴν ἁγιάζου καὶ ἐκ τοῦ αἵματος μεταλαμβάνων Χριστοῦ. Ἔτι δὲ τῆς νοτίδος ἐνούσης τοῖς χείλεσί σου χερσὶν ἐπαφώμενος καὶ ὀφθαλμοὺς καὶ μέτωπον καὶ τὰ λοιπὰ ἁγίαζε αἰσθητήρια. Εἶτα ἀναμείνας τὴν εὐχὴν εὐχαρίστει τῷ θεῷ τῷ καταξιώσαντί σε τῶν τηλικούτων μυστηρίων.

23. Κατέχετε ταύτας τὰς παραδόσεις ἀσπίλους καὶ ἀπροσκόπους ἑαυτοὺς διαφυλάξατε. Τῆς κοινωνίας ἑαυτοὺς μὴ ἀπορρήξητε,

tendens, ne quid ex eo tibi depereat. Quodcumque enim intercidere patieris, id tibi certe tamquam ex propriis membris deminutum est. Dic enim mihi, si quis tibi auri ramenta dedisset, nonne summa cum diligentia adservares, providus ne quid horum tibi deperiret ac damnun patereris? Nonne igitur multo diligentius curabis, ne ex eo tibi vel mica intercidat, quod est auro pretiosisque lapillis multo pretiosius?

22. Tum vero post communionem corporis Christi accede et ad sanguinis poculum, non extendens manus, sed pronus et modo adorationis et venerationis dicens amen sanctificare, ex sanguine Christi quoque sumens. Et cum adhuc labiis tuis adhaeret ex eo humor, manibus adtingens et oculos et frontem et reliquos sensus sanctifica. Postremo exspectans orationem gratias age deo, qui tantis te sacramentis dignatus est.

23. Has traditiones inviolatas retinete et inoffensos vosmet servate. Communione ne vos segretis, ne propter peccatorum

μὴ διὰ μολυσμὸν ἁμαρτιῶν τῶν ἱερῶν τούτων καὶ πνευματικῶν ἑαυτοὺς ἀποστερήσητε μυστηρίων.

„Ὁ δὲ θεὸς τῆς εἰρήνης ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς, καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ σῶμα καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ πνεῦμα ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ[a] κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ διατηρηθείη“[2]. Ὧι ἡ δόξα, τιμὴ καὶ κράτος σὺν πατρὶ [καὶ υἱῷ][b] καὶ ἁγίῳ πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

maculam sacris istis et spiritualibus mysteriis vos defraudetis.

Deus autem pacis sanctificet vos per omnia, et integrum corpus vestrum et anima et spiritus in adventu domini nostri Iesu Christi servetur. Cui gloria, honor, imperium cum patre [et filio] et sancto spiritu nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

IX. S. AMBROSII LIBER DE MYSTERIIS.

Librum De mysteriis s. Ambrosii esse inter catholicos semper constabat. Heterodoxorum primus Bullinger anno 1535 eum librum Ambrosio abiudicavit, quem secutus est Dallaeus; hi sententiae suae has produnt causas: tractationem pro Ambrosiana ratione frigidiorem et varietatem doctrinae eucharisticae. Nostris temporibus de auctore eius libri dubitavit Loofs (Leitf. d. Dogmengesch.[4] 1906, 470). Sed quae adversariis offensioném adferunt, minimi sunt momenti. Genus dicendi in Ambrosium quadrat; quae observatur stili differentia, facile inde explicatur, quod hic liber est generis catechetici eamque ob causam dictio eius minus artem oratoriam redolet. Protestantibus non placet, quod in hoc libro transsubstantiatio panis et vini aperte docetur; sed ex ceteris sancti doctoris scriptis efficere nequeunt, eum de eucharistia aliter docuisse atque ecclesiam catholicam.

Quo anno hic liber ortus sit, prorsus incertum est. Initio eius legitur: ‘De moralibus cotidianum sermonem habuimus, cum vel patriarcharum gesta vel Proverbiorum legerentur praecepta’; sed cave, ne hoc loco libros Ambrosii de Abraham, Isaac, Iacob denotari cum Maurinis censeas. Agitur enim loco laudato de catechumenis, qui in moralibus potissimum erudiri solebant, ut ex Doctrina apostolorum (c. 7 in.) patet; praeterea Ambrosius tot de vetere testamento libros

[a] *om. Rupp cum m.* [b] *Has voces recte Touttée uncis inclusit.*

[1] 1 Thess. 5, 23.

conscripsit, ut eum non semel, sed saepius de gestis patriarcharum et de Proverbiis in ecclesia sermones habuisse veri simillimum sit.

Textus meus idem est atque editionis Maurinorum (tom. II, Paris. 1690), quem uno tantum loco (c. 7, 35: *filia* pro *filiae*) mutavi.

CAPVT I.

Exponit Ambrosius, cur non ante baptismum de mysteriis sermonem habuerit. Caerimonia apertionis aurium explicatur.

1 De moralibus cotidianum sermonem habuimus, cum vel patriarcharum gesta vel Proverbiorum legerentur praecepta, ut his informati atque instituti adsuesceretis maiorum ingredi vias eorumque iter carpere ac divinis oboedire oraculis, quo renovati per baptismum eius vitae usum teneretis, quae ablutos deceret. 2 Nunc de mysteriis dicere tempus admonet atque ipsam sacramentorum rationem edere; quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius quam edidisse aestimaremur; deinde, quod inopinantibus melius se ipsa lux mysteriorum infuderit, quam si eam sermo aliquis praecucurrisset. 3 Aperite igitur aures et bonum odorem vitae aeternae inhalatum vobis munere sacramentorum carpite; quod vobis significavimus, cum apertionis celebrantes mysterium diceremus: *Ephpheta quod est adaperire*[1], ut venturus unusquisque ad gratiam, quid interrogaretur, cognosceret, quid responderet, meminisse deberet. 4 Hoc mysterium celebravit Christus in evangelio, sicut legimus, cum mutum curaret et surdum. Sed ille os tetigit, quia et mutum curabat et virum; in altero, ut os eius infusae sono vocis aperiret; in altero, quia tactus iste virum decebat, feminam non decebat.

CAPVT II.

De ingressu initiandi in baptisterium.

5 Post haec reserata sunt tibi sancta sanctorum[2], ingressus es regenerationis sacrarium; repete, quid interrogatus sis, recognosce, quid responderis. Renuntiasti diabolo et operibus eius, mundo et luxuriae eius ac voluptatibus[3]. Tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium.

[1] Marc. 7, 34. De caerimonia apertionis aurium et narium vide Ps.-Ambr., De sacr. I 2—3. [2] i. e. baptisterium. [3] Tert. de

6 Vidisti illic levitas, vidisti sacerdotem, vidisti summum sacerdotem. Noli considerare corporum figuras, sed mysteriorum gratiam. Praesentibus angelis locutus es, sicut scriptum est: *Quia labia sacerdotis custodiunt scientiam et legem exquirunt ex ore ipsius; quoniam angelus est domini omnipotentis*[1]. Non est fallere, non est negare: angelus est, qui regnum Christi et vitam aeternam adnuntiat. Non specie tibi aestimandus sit, sed munere. Quid tradiderit considera, usum eius expende et statum eius agnosce.

7 Ingressus es igitur, ut adversarium tuum cerneres[2], cui renuntiandum in os putaris[3]. In orientem converteris[4]; qui enim renuntiat diabolo, ad Christum convertitur, illum directo cernit obtutu.

CAPVT III.

In aqua et sacris ministris praesentiam atque operationem divinitatis considerandam esse, compluribus figuris, quibus baptisma jam inde a mundi creatione praenuntiatum est, docet.

8 Quid vidisti? Aquas utique, sed non solas: levitas illic ministrantes, summum sacerdotem interrogantem et consecrantem. Primo omnium docuit te apostolus non ea contemplanda nobis, *quae videntur, sed quae non videntur*; *quoniam quae videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna*[5]. Nam et alibi habes: *Quia invisibilia dei a creatura mundi per ea, quae facta sunt, comprehenduntur: sempiterna quoque virtus eius ac divinitas*[6] operibus aestimatur. Unde et

corona 3: Aquam adituri ibidem, sed et aliquanto prius in ecclesia sub antistitis manu contestamur, nos renuntiare diabolo et pompae et angelis eius.

[1] Malach. 2, 7. [2] Cyrill. cat. mystag. 1, 2 squ. [3] Hic locus sine dubio corruptus est. Pro *putaris* in quibusdam codd. legitur *putares*, in uno *sputaris*, idque (*sputaris*) recepit Ballerini in editionem Mediolanensem (Med. 1879) ita interpungens: '*cui renuntiandum. In os sputaris*'. Sed de tali ritu nihil alibi legimus. [4] Cyrill. l. l. 9; Constit. apost. VII 41; Hieronymus (in Amos 6, 14): 'Unde et in mysteriis primum renuntiamus ei, qui in occidente est nobisque moritur cum peccatis, et sic versi ad orientem pactum inimus cum sole iustitiae et ei servituros nos esse promittimus'. [5] 2 Cor. 4, 18. [6] Rom. 1, 20.

ipse dominus ait: *Si mihi non creditis, vel operibus credite.* Crede ergo divinitatis illic adesse praesentiam. Operationem credis, non credis praesentiam? Unde sequeretur operatio, nisi praecederet ante praesentia?

9 Considera autem, quam vetus mysterium sit, in ipsius mundi praefiguratum origine. In principio ipso, quando fecit deus caelum et terram, *spiritus*, inquit, *superferebatur super aquas.* Qui superferebatur super aquas, non operabatur super aquas? Sed quid dicam: operabatur? quod ad praesentiam spectat, superferebatur. Non operabatur, qui superferebatur? Cognosce, quia operabatur in illa mundi fabrica, quando tibi dicit propheta: *Verbo domini caeli firmati sunt, et spiritu oris eius omnis virtus eorum*[1]. Utrumque prophetico subnixum est testimonio, et quia superferebatur et quia operabatur. Quia superferebatur, Moyses dicit; quia operabatur, David testificatur.

10 Accipe aliud testimonium. Corrupta erat caro omnis ab iniquitatibus suis. *Non permanebit*, inquit deus, *spiritus meus in hominibus, quia carnes sunt*[2]. Quo ostendit deus, quia carnali immunditia et gravioris labe peccati gratia spiritualis avertitur. Unde volens deus reparare, quod deerat, diluvium fecit et iustum Noe in arcam iussit adscendere. Qui dum, decedente diluvio, corvum dimisisset prius, qui non revertit, dimisit columbam, quae cum ramo oleae legitur revertisse. Vides aquam, vides lignum, columbam adspicis, et dubitas de mysterio?

11 Aqua est ergo, qua caro mergitur, ut omne abluatur carnale peccatum. Sepelitur illic omne flagitium. Lignum est, in quo suffixus est dominus Iesus, cum pateretur pro nobis. Columba est, in cuius specie descendit spiritus sanctus, sicut didicisti in novo testamento, qui tibi pacem animae, tranquillitatem mentis inspirat. Corvus est figura peccati, quod exit et non revertitur, si in te quoque iusti custodia et forma servetur.

12 Tertium quoque testimonium est, sicut te apostolus docet: *Quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes mare transierunt, et omnes in Moyse baptizati sunt, in*

[1] Ps. 32, 6. [2] Gen. 6, 3.

nube et in mari[1]. Denique et ipse Moyses dicit in Cantico: *Misisti spiritum tuum, et operuit eos mare*[2]. Advertis, quod in illo Hebraeorum transitu iam tunc sacri baptismatis figura praecesserit, in quo Aegyptius interiit et Hebraeus evasit. Quid enim aliud in hoc cotidie sacramento docemur, nisi quia culpa mergitur et error aboletur, pietas autem et innocentia tuta permansit?

13 Audis, quia sub nube fuerunt patres nostri, et bona nube, quae carnalium refrigeravit incendia passionum. Bona nubes obumbrat, quos revisit spiritus sanctus. Denique supervenit in Mariam virginem, et virtus altissimi obumbravit ei, quando redemptionem genti genuit humanae. Et illud miraculum per Moysen in figura factum est. Si ergo in figura adfuit spiritus, non adest in veritate, cum scriptura tibi dicat: *Quia lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Iesum Christum facta est?*[3]

14 Merrha fons amarissimus erat; misit in eum Moyses lignum, et dulcis est factus. Aqua enim sine praedicatione dominicae crucis ad nullos usus futurae salutis est; cum vero salutaris fuerit crucis mysterio consecrata, tunc ad usum spiritalis lavacri et salutaris poculi temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyses misit lignum, hoc est, propheta; ita et in hunc fontem sacerdos praedicationem dominicae crucis mittit, et aqua fit dulcis ad gratiam[4].

15 Non ergo solis corporis tui credas oculis: magis videtur, quod non videtur; quia istud temporale, illud aeternum adspicitur, quod oculis non comprehenditur, animo autem ac mente cernitur.

[1] 1 Cor. 10, 1. 2. [2] Ex. 15, 10. [3] Ioh. 1, 17. Haec sententia Ambrosii est interrogatio; non recte igitur eam Benedictini in editione puncto, quod dicitur, clauserunt. [4] Ambrosius arbitrari videtur, aquam, nisi consecrata sit, eam vim non habere, ut in baptismo sanctificet. Idem iam apud Tertullianum legitur (de bapt. 4): 'Supervenit enim statim spiritus de caelis et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatae vim sanctificandi combibunt'. Etiam medio aevo fuerunt, qui ita docerent (Schanz, Die Lehre von den hh. Sakramenten 217 s.).

16 Denique doceat te decursa Regnorum lectio. Naaman Syrus erat et lepram habebat nec ab ullo mundari poterat. Tunc ait puella ex captivis, quoniam esset propheta in Israel, qui posset eum a leprae contagione mundare. Sumpto, inquit, auro et argento, perrexit ad regem Israel. Qui cognita adventus eius causa, scidit vestimenta sua dicens, quod tentaretur magis, cum de se ea, quae non essent potestatis regiae, poscerentur; Elisaeus autem regi intimavit, ut ad se dirigeret Syrum, quo cognosceret, quod esset deus in Israel. Et cum venisset, mandavit ei, ut septies mergeretur in Iordane fluvio. 17 Tunc ille secum tractare coepit, quod meliores aquas haberet patriae suae, in quibus se saepe mersisset, et numquam a lepra esset ablutus, eoque revocatus non oboediebat mandatis prophetae; sed et admonitu et persuasionibus servulorum adquievit ac mersit. Mundatusque illico intellexit non aquarum esse, quod unusquisque mundatur, sed gratiae.

18 Cognosce nunc, quae sit illa puella ex captivis iunior, scilicet ex gentibus congregatio, id est, ecclesia domini depressa ante captivitate peccati, quando libertatem adhuc gratiae non habebat; cuius consilio vanus ille populus nationum verbum audivit propheticum, de quo ante diu dubitavit; postea tamen, ubi credidit exsequendum, ablutus est ab omni contagione vitiorum. Et ille quidem dubitavit, antequam sanaretur; tu iam sanatus es et ideo dubitare non debes.

CAPVT IV.

Aquam non mundare sine spiritu et verbis domini et paralytici sanatione et baptismo Christi demonstratur.

19 Ideo tibi ante praedictum est, ut non hoc solum crederes, quod videbas, ne forte et tu diceres: Hoc est illud magnum mysterium, *quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis adscendit*[1]? Aquas video, quas videbam cotidie: istae me habent mundare, in quas saepe descendi, et numquam mundatus sum? Hinc cognosce, quod aqua non mundat sine spiritu.

[1] 1 Cor. 2, 9.

20 Ideoque legisti, quod tres testes in baptismate unum sunt, aqua, sanguis et spiritus[1]; quia si unum horum detrahas, non stat baptismatis sacramentum. Quid est enim aqua sine cruce Christi? Elementum commune, sine ullo sacramenti effectu. Nec iterum sine aqua regenerationis mysterium est: *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum dei*[2]. Credit autem etiam catechumenus in crucem domini Iesu, qua et ipse signatur; sed nisi baptizatus fuerit in nomine patris et filii et spiritus sancti, remissionem non potest accipere peccatorum nec spiritualis gratiae munus haurire.

21 Ergo ille Syrus septies mersit in lege; tu autem baptizatus es in nomine trinitatis; confessus es patrem, recordare quid feceris, confessus es filium, confessus es spiritum sanctum. Tene ordinem rerum in hac fide, mundo mortuus es et deo resurrexisti. Et quasi in illo mundi consepultus elemento, peccato mortuus ad vitam es resuscitatus aeternam. Crede ergo, quia non sunt vacuae aquae.

22 Ideo tibi dictum est: *Quia angelus domini descendebat secundum tempus in natatoriam, et movebatur aqua; et qui prior descendisset in natatoriam post commotionem aquae, sanus fiebat a languore, quocumque tenebatur*[3]. Haec piscina in Hierosolymis erat, in qua unus annuus sanabatur; sed nemo ante sanabatur, quam descendisset angelus. Ut esset indicium, quia descenderat angelus, movebatur aqua propter incredulos. Illis signum, tibi fides; illis angelus descendebat, tibi spiritus sanctus; illis creatura movebatur, tibi Christus operatur, ipse dominus creaturae. 23 Tunc curabatur unus, nunc omnes sanantur, aut certe unus solus populus christianus; est enim in aliquibus et aqua mendax. Non sanat baptismus perfidorum[4], non mundat, sed polluit. Judaeus urceos baptizat et calices, quasi insensibilia vel culpam possint recipere vel gratiam. Tu baptiza hunc calicem tuum sensibilem, in quo bona opera tua luceant, in quo

[1] 1 Ioh. 5, 8. [2] Ioh. 3, 5. [3] Ioh. 5, 4. [4] Perfidi hoc loco sunt Iudaei et gentiles; id patet ex iis, quae secuntur, et ex Ps.-Ambrosio de sacr. II 1, 2.

gratiae tuae splendor fulgeat. Ergo et illa piscina in figura, ut credas, quia in hunc fontem vis divina descendit.

24 Denique paralyticus ille exspectabat hominem. Quem illum, nisi dominum Iesum natum ex virgine, cuius adventu non iam umbra sanaret singulos, sed veritas universos? Iste est ergo, qui exspectabatur ut descenderet, de quo dixit deus pater ad Iohannem Baptistam: *Super quem videris spiritum descendentem de caelo et manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto*[1]. De quo testificatus est Iohannes dicens: *Quia vidi spiritum descendentem de caelo quasi columbam et manentem super eum*[2]. Et hic quare spiritus sicut columba descendit, nisi ut tu videres, nisi ut tu agnosceres columbam etiam illam, quam Noe iustus emisit ex arca, istius columbae speciem fuisse, ut typum agnosceres sacramenti?

25 Et fortasse dicas: Cum illa vera columba fuerit, quae emissa est, hic quasi columba descenderit: quomodo illic speciem fuisse dicimus, hic veritatem; cum secundum Graecos[3] in specie columbae spiritum descendisse sit scriptum? Sed quid tam verum quam divinitas, quae manet semper? Creatura autem non potest veritas esse, sed species, quae facile solvitur atque mutatur. Simul quia eorum, qui baptizantur, non in specie esse debeat, sed vera simplicitas. Unde et dominus ait: *Estote astuti sicut serpentes, et simplices sicut columbae*[4]. Merito ergo sicut columba descendit, ut admoneret nos simplicitatem columbae habere debere. Speciem autem et pro veritate accipiendam legimus et de Christo: *Et specie inventus ut homo*[5], et de patre deo: *Neque speciem eius vidistis*[6].

CAPVT V.

Confirmatur adesse Christum in baptismate, atque adeo non considerandos ejus ministros. Denique confessio trinitatis a baptizatis edi solita paucis expenditur.

26 Estne adhuc, quod dubitare debeas, cum evidenter

[1] Ioh. 1, 33. [2] Ioh. 1, 32. [3] Luc. 3, 22: *καὶ καταβῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει ὡς περιστερὰν ἐπ' αὐτόν.* [4] Matth. 10, 16. [5] Philipp. 2, 7. [6] Ioh. 5, 37.

tibi clamet in evangelio pater, qui ait: *Hic est filius meus in quo complacui?*[1] clamet filius, super quem sicut columba se demonstravit spiritus sanctus? clamet et spiritus sanctus qui sicut columba descendit? clamet David: *Vox domini super aquas, deus maiestatis intonuit, dominus super aquas multas?*[2] cum tibi scriptura testetur, quod ad Hierobaal preces ignis descenderit de caelo et rursus, precante Elia, ignis sit missus, qui sacrificium consecravit?

27 Non merita personarum consideres, sed officia sacerdotum. Et si merita spectes, sicut Eliam consideres, Petri quoque merita spectato vel Pauli, qui acceptum a domino Iesu hoc nobis mysterium tradiderunt. Ignis illis visibilis mittebatur, ut crederent, nobis invisibilis operatur, qui credimus; illis ad figuram, nobis ad commonitionem. Crede ergo adesse dominum Iesum invocatum precibus sacerdotum, qui ait: *Ubi fuerint duo vel tres, ibi et ego sum*[3]*;* quanto magis, ubi est ecclesia, ubi mysteria sua sunt, ibi dignatur suam impertire praesentiam?

28 Descendisti igitur, recordare quid responderis, quod credas in patrem, credas in filium, credas in spiritum sanctum[4]. Non habes illic: Credo in maiorem et minorem et ultimum, sed eadem vocis tuae cautione constringeris, ut similiter credas in filium, sicut in patrem credis, similiter in spiritum sanctum credas, sicut credis in filium; hoc solo excepto, quod in crucem solius domini Iesu fateris tibi esse credendum.

CAPVT VI.

Egressis e fonte baptismatis quare unctio fiat in capite; cur etiam pedum lotio post baptismum.

29 Post haec utique adscendisti ad sacerdotem: considera quid secutum sit. Nonne illud quod ait David: *Sicut unguen-*

[1] Matth. 3, 17. [2] Ps. 28, 3. [3] Matth. 18, 20. [4] Ex hoc loco et ex Ps.-Ambr. de sacr. II 7, 20 efficitur, tunc temporis in provincia Mediolanensi baptizatum esse ita, ut baptizandi ter de fide in trinitatem interrogarentur et responderent: Credo. Eadem forma huius sacramenti adparet in Sacramentario Gelasiano duobus locis (Muratori, Liturgia Rom. vetus I 570 et 596); priore loco legitur: 'Inde benedicto fonte baptizas unumquemque in ordine suo sub his interrogationibus: Credis in deum patrem omnipotentem? Resp.: Credo (ita etiam de

tum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron?[1] Hoc est unguentum, de quo et Salomon ait: *Unguentum exinanitum est nomen tuum, propterea adulescentulae dilexerunt te et adtraxerunt te*[2]. Quantae hodie renovatae animae dilexerunt te, domine Iesu, dicentes: *Adtrahe nos post te, in odorem vestimentorum tuorum currimus*[3], ut odorem resurrectionis haurirent? 30 Quare hoc fiat intellege, quia *oculi sapientis in capite eius*[4]. Ideo in barbam defluit, id est, in gratiam iuventutis; ideo in barbam Aaron, ut fias electum genus, sacerdotale, pretiosum; omnes enim in regnum dei et in sacerdotium ungimur gratia spiritali[5].

31 Adscendisti de fonte, memento evangelicae lectionis. Etenim dominus noster Iesus in evangelio lavit pedes discipulis suis[6]. Quando venit ad Simonem Petrum, ait Petrus: *Non lavas mihi pedes in aeternum*[7]. Non advertit mysterium et ideo ministerium recusavit, quod gravari humilitatem servi crederet, si sibi obsequium domini patienter admitteret. Cui respondit dominus: *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Quo audito, Petrus: *Domine, non tantum pedes,* inquit, *sed et manus et caput.* Respondit dominus: *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.*

32 Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debebat; habebat enim primi hominis de successione peccatum, quando eum subplantavit serpens et persuasit errorem. Ideo planta eius abluitur, ut haereditaria peccata tollantur; nostra enim propria per baptismum relaxantur[8]. 33 Simul cognosce mysterium in

filio et spiritu sancto). Deinde per singulas vices mergis eum tertio in aqua'. Altero loco ita habes: 'Et antequam perfundas eum aqua, interrogas cum verbo symboli et dicis: Credis etc.? Et cum interrogas, per singulas vices mergis eum tertio in aqua'.

[1] Ps. 132, 2. [2] Cant. 1, 2. [3] Cantic. 1, 3. [4] Eccles. 2, 14. [5] Qui baptizati erant, statim a sacerdote ungebantur 'supra caput' (de sacr. III 1, 1), i. e. in vertice capitis. [6] Sicut Mediolanii (de sacr. III 1, 4—6), ita in Gallia et in Africa neophytis ab episcopo pedes lavabantur (Kraus, Real-Enzyklopädie II 969); Romae et in oriente hic mos non vigebat (de sacr. l. l.; Orig. in Ioh. tom. 32, 7 et in Ies. h. 6. 3). In Hispania pedes baptizatorum lavari vetuit synodus Illiberitana anno circiter 300 (can. 48). [7] Ioh. 13, 8. [8] Sententia igitur Ambrosii est, lotione pedum 'hae-

ipso humilitatis consistere ministerio; ait enim: *Si ego lavi vobis pedes dominus et magister; quanto magis et vos debetis lavare pedes invicem vobis?* Cum enim ipse auctor salutis per oboedientiam nos redemerit, quanto magis servuli eius humilitatis et oboedientiae exhibere debemus obsequium?

CAPVT VII.

Vestimentis albis neophytorum ablutio peccatorum manifestatur. Etiam angeli et ipse Iesus sponsus nitorem ecclesiae mirati sunt.

34 Accepisti post haec vestimenta candida, ut esset indicium, quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiae casta velamina, de quibus dixit propheta: *Adsperges me hyssopo, et mundabor; lavabis me, et super nivem dealbabor*[1]. Qui enim baptizatur, et secundum legem et secundum evangelium videtor esse mundatus; secundum legem, quia hyssopi fasciculo Moyses adspergebat sanguinem agni; secundum evangelium, quia Christi erant candida vestimenta sicut nix, cum resurrectionis suae gloriam in evangelio demonstraret. Super nivem ergo dealbatur, cui culpa dimittitur. Unde et per Esaiam dominus ait: *Si fuerint peccata vestra sicut phoenicium, ut nivem dealbabo*[2].

35 Haec vestimenta habens ecclesia, per lavacrum regenerationis adsumta, dicit in Canticis: *Nigra sum et decora, filia*[3] *Hierusalem*[4]. Nigra per fragilitatem conditionis humanae,

reditaria peccata', i. e. peccatum originale, baptismo vero propria peccata relaxari. Idem et aliis locis exprimit; in expositione perdita Isaiae prophetae scripserat, Petrum, cum posceret, ut sibi non solum pedes, sed etiam caput lavaretur, intellexisse, 'lavacro pedum, qui in primo lapsi sunt homine, sordem obnoxiae successionis aboleri'. (s. August. contra duas ep. Pelag. IV 11, 29); In psalm. 48 nr. 8 scribit: 'Unde et dominus discipulis pedes lavit, ut lavaret venena serpentis'; in iis, quae secuntur, explicat (nr. 9): 'Unde reor iniquitatem calcanei magis lubricum delinquendi (i. e. concupiscentiam) quam reatum aliquem nostri esse delicti . .; in die enim iudicii nostra in nobis, non alienae iniquitatis flagitia puniuntur'. Itaque quod Ambrosius de myst., 3, 11 declarat: 'Aqua est ergo, qua caro mergitur, ut omne abluatur carnale peccatum; sepelitur illic omne flagitium', vix de originali peccato intellegendum est.

[1] Ps. 50, 9. [2] Is. 1, 18. [3] Ita codd. 'numerosissimi', quas contulerunt Benedictini, et editio Mediolanensis anni 1879 cum codice M, necnon cod. Sangallensis, quo continetur vetus versio latina ante-

decora per gratiam; nigra, quia ex peccatoribus, decora fidei sacramento. Haec vestimenta cernentes filiae Hierusalem stupefactae dicunt: *Quae est haec quae adscendit dealbata?*[1] Haec erat nigra, unde nunc subito dealbata?

36 Dubitaverunt etiam angeli, cum resurgeret Christus, dubitaverunt potestates caelorum videntes, quod caro in caelum adscenderet. Denique dicebant: *Quis est iste rex gloriae?* Et cum alii dicerent: *Tollite portas principis vestri et elevamini portae aeternales, et introibit rex gloriae,* alii dubitabant dicentes: *Quis est iste rex gloriae?*[2] In Esaia quoque habes dubitantes virtutes caelorum dixisse: *Quis est iste, qui adscendit ex Edom, rubor vestimentorum eius ex Bosor, speciosus in stola candida?*[3]

37 Christus autem videns ecclesiam suam in vestimentis candidis, pro qua ipse, ut habes in Zachariae libro prophetae, sordida vestimenta susceperat, vel animam regenerationis lavacro mundam atque ablutam, dicit: *Ecce formosa es, proxima mea, ecce es formosa, oculi tui sicut columbae*[4], in cuius specie spiritus sanctus descendit de caelo. Formosi oculi sicut columbae; quia in eius specie spiritus sanctus descendit de caelo. 38 Et infra: *Dentes tui sicut grex tonsarum, quae adscenderunt de lavacro, quae omnes geminos creant, et infecunda non est in eis; ut resticula coccinea labia tua*[5]. Non mediocris ista laudatio. Primum dulci comparatione tonsarum; capras enim et in altis pasci sine periculo novimus, et in praeruptis securas cibum capere; deinde cum tondentur, deonerari superfluis. Harum gregi comparatur ecclesia, multas in se habens animarum virtutes, quae per lavacrum superflua peccata deponant, quae mysticam fidem et moralem gratiam deferant Christo, quae crucem domini Iesu loquantur.

39 In iis formosa est ecclesia. Unde ad eam verbum deus dicit: *Tota formosa es, proxima mea; et reprehensio*

hieronymiana; ceterae editiones omnes habent 'filiae', etiam Benedictina. [4] Cant. 1, 4.

[1] Cant. 8, 5. [2] Ps. 23, 7 ss. [3] Is. 63, 1. [4] Cant. 4, 1. [5] l. l. 4, 2—3.

non est in te[1]; quia culpa demersa est. *Ades huc a Libano, sponsa; ades huc a Libano; transibis et pertransibis a principio fidei*[2]; eo quod renuntians mundo transierit saeculum, pertransierit ad Christum. Et iterum dicit ad eam deus verbum: *Quid pulchra et suavis facta es, caritas, in deliciis tuis? Statura tua similis facta est palmae et ubera tua botris*[3]. 40 Cui respondet ecclesia: *Quis dabit te, frater, mihi lactentem ubera matris meae? Inveniens te foris, osculabor te, et quidem non spernent me. Adsumam te et inducam te in domum matris meae et in secretum eius, quae concepit me. Docebis me*[4]. Vides, quemadmodum delectata munere gratiarum ad interiora cupit mysteria pervenire et omnes sensus suos consecrare Christo? Adhuc quaerit, adhuc suscitat caritatem et suscitari sibi eam poscit a filiabus Hierusalem, quarum gratia, hoc est, animarum fidelium, sponsum in amorem sui uberiorem desiderat provocari.

41 Unde dominus Iesus et ipse invitatus tantae studio caritatis, pulchritudine decoris et gratiae, quod nulla iam in ablutis delicta sorderent, dicit ad ecclesiam: *Pone me ut signaculum in cor tuum, ut sigillum in brachium tuum*[5], hoc est decora es, proxima mea, tota formosa es, nihil tibi deest. *Pone me ut signaculum in cor tuum*, quo fides tua pleno fulgeat sacramento. Opera quoque tua luceant et imaginem dei praeferant, ad cuius imaginem facta es. Caritas tua nulla persecutione minuatur, quam multa aqua excludere, flumina undare non possint.

42 Unde repete, quia accepisti signaculum spiritale, spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum sancti timoris: et serva, quod accepisti. Signavit te deus pater, confirmavit te Christus dominus, et dedit pignus spiritus in cordibus tuis, sicut apostolica lectione didicisti[6].

[1] l. l. 4, 7. [2] l. l. 8. [3] l. l. 7, 6—7. [4] l. l. 8, 1. 2. [5] l. l. 6. [6] Hoc loco de sacramento confirmationis agitur, cfr. De sacr. III 2, 1—3.

CAPVT VIII.

De mystico dominici altaris convivio; quod, ne quis minoris faciat, ostenditur synagogae sacris antiquius esse, cum in sacrificio Melchisedech expressum fuerit, et ipso manna praestantius, cum sit corpus Christi.

43 His abluta plebs dives insignibus, ad Christi contendit altaria[1], dicens: *Et introibo ad altare dei, ad deum qui laetificat iuventutem meam*[2]; depositis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquilae iuventute, caeleste illud festinat adire convivium. Venit igitur et videns sacrosanctum altare compositum[3], exclamans ait: *Parasti in conspectu meo mensam.* Hanc loquentem inducit David dicens: *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit; in loco pascuae ibi me conlocavit. Super aquam refectionis educavit me.* Et infra: *Nam etsi ambulem in medio umbrae mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es. Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, et poculum tuum inebrians quam praeclarum est?*[4]

44 Nunc illud consideremus, ne quis forte visibilia videns (quoniam quae sunt invisibilia, non videntur nec possunt humanis oculis comprehendi) dicat forte: Iudaeis deus manna pluit, pluit coturnices, ecclesiae autem illi dilectae haec sunt, quae praeparavit, de quibus dictum est: *Quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis adscendit, quae praeparavit deus diligentibus eum?*[5] Ergo ne quis hoc dicat, summo studio volumus comprobare, quod et antiquiora sunt sacramenta ecclesiae quam synagogae et praestantiora, quam manna est.

45 Antiquiora docet lectio Genesis, quae decursa est. Synagoga enim ex lege Moysi principium sumpsit; Abraham vero longe anterior, qui victis hostibus et nepote proprio recepto, cum potiretur victoria, tunc illi occurrit Melchisedech et protulit ea, quae Abraham veneratus accepit. Non Abraham protulit, sed

[1] Hic indicatur neophytorum a baptisterio ad altare processus, quae per totam octavam paschae eodem ornatu et cereis accensis repetebatur. [2] Ps. 42, 4. [3] i. e. ornatum. [4] Ps. 22. [5] 1 Cor. 2, 9.

Melchisedech; qui inducitur sine patre, sine matre, neque initium dierum neque finem habens, similis autem filio dei, de quo ait Paulus ad Hebraeos[1]: *Quia manet sacerdos in perpetuum;* qui interpretatione latina dicitur rex iustitiae, rex pacis. 46 Non agnoscis quis iste sit? Potest homo esse rex iustitiae, cum ipse vix iustus sit? Potest esse rex pacis, cum vix possit esse pacificus? Sine matre secundum divinitatem; quia ex patre deo genitus est, unius substantiae cum patre; sine patre secundum incarnationem, qui natus ex virgine est; initium et finem non habens, quia ipse est initium et finis omnium, primus et novissimus. Non igitur humani, sed divini est muneris sacramentum, quod accepisti, ab eo prolatum, qui benedixit fidei patrem Abraham, illum, cuius gratiam et gesta miraris.

47 Probatum est antiquiora esse ecclesiae sacramenta; nunc cognosce potiora. Revera mirabile est, quod manna deus pluerit patribus, et cotidiano caeli pascebantur alimento. Unde dictum est: *Panem angelorum manducavit homo*[2]. Sed tamen panem illum qui manducaverunt, omnes in deserto mortui sunt: ista autem esca quam accipis, iste panis vivus qui descendit de caelo, vitae aeternae substantiam subministrat; et quicumque hunc manducaverit, non morietur in aeternum, et est corpus Christi. 48 Considera nunc, utrum praestantior sit panis angelorum an caro Christi, quae utique corpus est vitae. Manna illud e caelo, hoc supra caelum; illud caeli, hoc domini caelorum; illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur; hoc alienum ab omni corruptione, quod quicumque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo; illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in aeternum. Iudaeus bibit et sitit; tu cum biberis, sitire non poteris, et illud in umbra, hoc in veritate.

49 Si illud, quod miraris, umbra est; quantum istud est, cuius et umbram miraris? Audi quia umbra est, quae apud patres facta est: *Bibebant*, inquit, *de consequenti eos petra:*

[1] Hebr. 7, 1. [2] Ps. 77, 25.

petra autem erat Christus. Sed non in pluribus eorum complacitum est deo; nam prostrati sunt in deserto[1]. Haec autem in figura facta sunt nostra. Cognovisti praestantiora; potior est enim lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de caelo.

CAPVT IX.

Ne quis, externa perculsus specie, in fide fluctuet, plurimis exemplis, quibus mutatam aut victam fuisse naturam constat, in medium adlatis, e pane veram Christi carnem fieri evincit. Postremo nonnullis, quae ad praestantiam et effectus eucharistiae pertinent, propositis, tractatum claudit.

50 Forte dicas: Aliud video, quomodo tu mihi adseris, quod Christi corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc superest ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis? Probemus non hoc esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, maioremque vim esse benedictionis quam naturae; quia benedictione etiam natura ipsa mutatur.

51 Virgam tenebat Moyses, proiecit eam, et facta est serpens. Rursus prehendit caudam serpentis, et in virgae naturam revertit. Vides igitur prophetica gratia bis mutatam esse naturam et serpentis et virgae? Currebant Aegypti flumina puro aquarum meatu, subito de fontium venis sanguis coepit erumpere, et non erat potus in fluviis. Rursus a prophetae prece cruor cessavit fluminum, aquarum natura remeavit. Circumclusus undique erat populus Hebraeorum, hinc Aegyptiis vallatus, inde mari clausus; virgam levavit Moyses, separavit se aqua et in murorum specie congelavit, atque inter undas via pedestris adparuit. Iordanis retrorsum conversus contra naturam in sui fontis revertit exordium. Nonne claret naturam vel maritimorum fluctuum vel fluvialis cursus esse mutatam? Sitiebat populus patrum, tetigit Moyses petram, et aqua de petra fluxit. Numquid non praeter naturam operata est gratia, ut aquam vomeret petra, quam non habebat natura? Merrha fluvius amarissimus erat, ut sitiens populus bibere non posset; misit Moyses lignum in aquam,

[1] 1 Cor. 10, 4. 5.

et amaritudinem suam aquarum natura deposuit, quam infusa subito gratia temperavit. Sub Elisaeo propheta uni ex filiis prophetarum excussum est ferrum de securi et statim mersum est. Rogavit Elisaeum, qui amiserat ferrum; misit etiam Elisaeus lignum in aquam, et ferrum natavit. Utique et hoc praeter naturam factum cognoscimus; gravior est enim ferri species quam aquarum liquor.

52 Advertimus igitur maioris esse virtutis gratiam quam naturam, et adhuc tamen propheticae benedictionis numeramus gratiam? Quod si tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret, quid dicimus de ipsa consecratione divina, ubi verba ipsa domini salvatoris operantur? Nam sacramentum istud, quod accipis, Christi sermone conficitur. Quod si tantum valuit sermo Eliae, ut ignem de caelo deponeret: non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? De totius mundi operibus legisti: *Quia ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt*[1]. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod non erat, non potest ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant? Non enim minus est novas rebus dare, quam mutare naturas.

53 Sed quid argumentis utimur? Suis utamur exemplis, incarnationisque exemplo adstruamus mysterii veritatem. Numquid naturae usus praecessit, cum Iesus dominus ex Maria nasceretur? Si ordinem quaerimus, viro mixta femina generare consuevit. Liquet igitur, quod praeter naturae ordinem virgo generavit. Et hoc, quod conficimus corpus, ex virgine est; quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse dominus Iesus partus ex virgine? Vera utique caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est; vere ergo carnis illius sacramentum est. 54 Ipse clamat dominus Iesus: *Hoc est corpus meum*; ante benedictionem verborum caelestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum; ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis: Amen,

[1] Ps. 148, 5.

hoc est, verum est[1]. Quod os loquitur, mens interna fateatur; quod sermo sonat, adfectus sentiat.

55 His igitur sacramentis pascit ecclesiam suam Christus, quibus animae firmatur substantia, meritoque videns profectum eius gratiae continentem dicit ad eam: *Quam decora facta sunt ubera tua, soror mea sponsa! quam decora facta sunt a vino; et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata. Favum distillant labia tua, o sponsa; mel et lac sub lingua tua, et odor vestimentorum tuorum sicut odor Libani. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus*[2]. Quo significat signatum debere apud te manere mysterium, ne violetur operibus malae vitae atque adulterio castitatis, ne divulgetur quibus non convenit, ne garrula loquacitate dispergatur in perfidos. Bona ergo debet esse fidei tuae custodia, ut intemerata vitae ac silentii integritas perseveret.

56 Unde et ecclesia altitudinem servans mysteriorum caelestium, reicit a se graviores venti procellas et invitat vernantis gratiae suavitatem; et sciens, quod hortus suus Christo displicere non possit, ipsum advocat sponsum dicens: *Exsurge aquilo et veni auster; perfla hortum meum, et defluant unguenta mea. Descendat frater meus in hortum suum et edat fructum pomiferarum suarum*[3]. Bonas enim arbores et fructiferas habet, quae radices suas tinxerint sacri fontis irriguo et in bonos fructus novae fecunditatis germine pullulaverint, ut non iam prophetica caedantur securi, sed evangelica ubertate fecundentur.

57 Denique fertilitate earum etiam dominus delectatus respondet: *Ingressus sum in hortum meum, soror mea sponsa; vindemiavi myrrham meam cum unguentis meis, manducavi cibum meum cum melle meo, bibi potum meum cum lacte meo*[4]. Quare cibum et potum dixerit, fidelis intellege. Illud

[1] Veteres christiani post precem seu canonem missae adclamabant: Amen (Iust. ap. I 65). Item unusquisque, quando accipiebat ss. eucharistiam et sacerdos dicebat: 'Corpus Christi, Sanguis Christi', respondebat: Amen. [2] Cant. 4, 10–12. [3] Cant. 4, 16; 5, 1. [4] Cant. 5, 1.

autem non dubium, quod in nobis ipse manducat et bibit, sicut in nobis legisti, quia in carcere esse se dicit.

58 Unde et ecclesia, videns tantam gratiam, hortatur filios suos, hortatur proximos, ut ad sacramenta concurrant, dicens: *Edite, proximi mei, et bibite et inebriamini, fratres mei*[1]. Quid edamus, quid bibamus, alibi tibi per prophetam spiritus sanctus expressit dicens: *Gustate et videte, quoniam suavis est dominus; beatus vir, qui sperat in eo*[2]. In illo sacramento Christus est, quia corpus est Christi; non ergo corporalis esca, sed spiritalis est. Unde et apostolus de typo eius ait: *Quia patres nostri escam spiritalem manducaverunt et potum spiritalem biberunt;* corpus enim dei corpus est spiritale: corpus est divini spiritus; quia spiritus Christus, ut legimus: *Spiritus ante faciem nostram Christus dominus*[3]. Et in Petri epistula habemus: *Christus pro nobis mortuus est*[4]. Denique cor nostrum esca ista confirmat, et potus iste laetificat cor hominis, ut propheta memoravit[5].

59 Unde adepti omnia, sciamus regeneratos nos esse nec dicamus: Quomodo regenerati sumus? Numquid in ventrem matris nostrae introivimus et venati sumus? Non agnosco usum naturae; sed nullus hic naturae ordo, ubi excellentia gratiae est. Denique non semper usus naturae generationem facit: generatum ex virgine Christum dominum confitemur et naturae ordinem denegamus. Non enim ex viro Maria concepit, sed de spiritu sancto in utero accepit, ut dicit Matthaeus: *Quia inventa est in utero habens de spiritu sancto*[6]. Si ergo superveniens spiritus sanctus in virginem conceptionem operatus est et generationis munus implevit, non utique dubitandum est, quod superveniens in fontem vel super eos, qui baptismum consecuntur, veritatem generationis operetur.

[1] l. l. [2] Ps. 33, 9. [3] Thren. 4, 20. [4] 1 Petr. 2, 21. [5] Ps. 103, 14 s. [6] Matth. 1, 18.

X. Ps.-AMBROSII DE SACRAMENTIS LIBRI SEX.

Librorum De sacramentis idem est argumentum ac superioris libri De mysteriis. Utroque enim opere neophyti instruuntur de sacramentis, quae pridie diem paschatis acceperunt, i. e. de baptismo, de confirmatione, de eucharistia. Haec commentatio in libris De sacramentis terminatur medio libro quinto his verbis (V 3, 17): 'Haec sunt, quae de sacramentis breviter percurrimus'; quae secuntur, maximam partem agunt de oratione. Ne vero dubites, quin idem auctor omnes sex libros De sacramentis conscripserit; nam in libro IV 6, 29 legitur: 'Crastina die sabbato et dominica de orationis ordine dicemus', et in libro V 4, 24: 'Memini sermonis mei, cum de sacramentis tractarem'.

Continentur sex libris De sacramentis totidem sermones, quos auctor una hebdomade paschali ad neophytos se habuisse narrat. Primus sermo feria tertia pronuntiatus esse videtur, ultimus die dominica habitus est (IV 6, 29). In vetustissimo codice Sangallensi (saec. VII), cuius iam Mabillon meminit[1], opus in septem dividitur libros ita, ut septimus incipiat a libro VI 5, 25; haec divisio inde orta esse videtur, quod post librum VI 5, 24 doxologia legitur aeque atque in fine uniuscuiusque libri antecedentis.

Iam in controversiis, quae saeculo nono de ss. eucharistia fuerunt, Hincmar ep. Remensis, et Ratramnus libros De sacramentis sancto Ambrosio adscripserunt[2]; in codd. Vaticanis lat. nr. 266 et 5760 e saec. IX. hi libri locum habent inter scripta sancti Ambrosii, post librum De mysteriis. Inter protestantes et catholicos viros doctos per complura saecula de auctore illorum librorum multum disputatum est. Quae enim in libris De sacramentis exponuntur, simillima sunt iis, quae ab Ambrosio in libro De mysteriis tractata sunt; verisimile autem non est, sanctum doctorem, quae in altero opere scripserat, in altero recoxisse. Iam vero maximi ponderis est diversitas dictionis, quae in utroque opere observatur. Ambrosius nobili et eleganti stilo uti consuerat, amat figuras verborum, parallelismum sententiarum, interpretationem allegoricam sacrae scripturae. At stilus operis De sacramentis frigidus est et omni elatione orationis caret; praeterea multae ibi occurrunt neglegentiae et interrogationes paene pueriles, quae ab ingenio sancti Ambrosii prorsus alienae sunt. Has ob causas nostris temporibus perpauci inveniuntur[3], qui libros De sacramentis Ambrosio adiudicent[4]. Anno 1893 Probst[5] et

[1] Iter Italicum I 2, Paris. 1637, 7—8. [2] Röm. Quartalschrift 1903, 41 s. [3] ex. gr. Ballerini in editione operum s. Ambros., tom. IV 45. [4] Iam Maurini hos libros Ambrosii esse negaverunt. Eandem sen-

anno 1894 Morin[1] probare conati sunt, sermones, quos s. Ambrosius ad neophytos habuit, per tachygraphum exceptos nobis libris De sacramentis traditos esse, postea autem Ambrosium ipsum eosdem sermones paucioribus complexum libro De mysteriis posteritati tradidisse. Sed optimo iure Schermann illis viris doctis oblocutus est[2] eamque sententiam defendit, ut auctor librorum De sacramentis librum s. Ambrosii De mysteriis imitatus sit eiusque dicta ampliaverit[3].

Quaeritur, quo anno libri De sacramentis scripti sint. Dicendum est: Post saeculum VI. orti esse nequeunt, circa annos 400—450 orti esse videntur. Nam: a) Sermones, qui hisce libris nobis traditi sunt, ad neophytos adultos habiti sunt; atqui ineunte saeculo quinto baptismus parvulorum adeo increbruit, ut vix post annum 450 in Italia aut in eius confiniis tempore paschali tunc dici posset: ‘Gaudet ecclesia redemptione multorum et adstare sibi familiam candidatam spirituali exsultatione laetatur’ (de sacr. V 3, 14). b) Gentiles in patria sua adhuc esse auctor pluribus locis innuit (VI 4, 18; 5, 24). c) Haeretici praeter Arianos commemorantur nulli (VI 2, 10). d) Versione sacrae scripturae Vulgata non utitur auctor.

Auctor librorum De sacramentis haud procul ab urbe Mediolanio vixit. Nam primum non subditus erat Romanae metropoli, sequebatur autem ecclesiae Romanae ‘typum in omnibus et formam’ (III 1, 5—6). Deinde ex eo, quod librum Ambrosii De mysteriis compilat, efficitur, eum ritibus Mediolanensibus vel certe Gallicanis usum esse.

Quidam, ut Tillemont, P. Schanz[4], Schermann[5], libros De sacramentis a. s. Maximo ep. Taurinensi, qui post annum 465 mortuus est, compositos esse suspicati sunt. Huic sententiae suffragatur, quod in antiquissimo codice Sangallensi hi libri immediate homilias sancti Maximi excipiunt.

At nihilo setius equidem mihi persuadere non possum, s. Maximum hos libros scripsisse. Nam primum stilus eorum valde differt a dictione Maximi, prout ex scriptis eius a Migne (patrol. lat. vol. 57) conlectis patet. Deinde in operibus s. Maximi tres tractatus

tentiam amplexi sunt Foerster (Ambrosius 1884, 96), Ihm (Studia Ambrosiana 1889, 72), Mart. Schanz (Röm. Literaturgesch. IV 1, 1904, 318). [5] Liturgie des 4. Jahrh. 239.

[1] Revue Bénédictine 1894, 339 squ. In Revue Bénéd. 1895, 386 Morin hanc sententiam sibi in dies magis placere adnotat. [2] Röm. Quart. 1903, 53 et 247. [3] Cfr. ex. gr. quae De myst. 3, 14 et 9, 51 et De sacr. II 4, 12 de Merrha fonte disputantur. [4] Die Lehre von den hh. Sakramenten 1893, 193. [5] Röm. Quart. 1903, 254 s.

leguntur, qui ab episcopo ad neobaptizatos habiti sunt de baptismo (Migne l. l. 771–782); horum autem tractatuum auctor neutiquam idem esse potest atque is, qui libros De sacramentis I—III composuit. Nam a) stilus dissimillimus est. b) Auctor tractatuum se ipse baptizatis pedes lavisse testatur (l. l. 779), cum scriptor De sacramentis de eo, qui lavit, tamquam de aliena persona loquatur; praeterea hic usus lotionis ab altero atque altero prorsus aliter explicatur. c) Ritus baptizandi in utroque opere diversus est (cfr. Tract. 2 et De sacr. II 7, 20).

In hac mea editione textum repetivi Maurinorum (tom. II, Paris. 1690), qui non differt ab eo, quem Ballerini typis mandavit (tom. IV, Mediolanii 1879, 456 squ. fol.); interpunctionem tamen passim emendavi. De indole atque auctore librorum De sacr. vide Probst, Liturgie des 4. Jahrh. 1893, 232—239, et Schermann, Die pseudoambrosianische Schrift De sacr. (Röm. Quartalschrift 1893, 36–53; 237—255).

LIBER PRIMVS.

Cap. 1. De mysterio apertionis aurium et narium.

1 De sacramentis, quae accepistis, sermonem adorior, cuius rationem non oportuit ante praemitti; in christiano enim viro prima est fides. Ideo et[1] Romae fideles dicuntur, qui baptizati sunt, et pater noster Abraham ex fide iustificatus est, non ex operibus. Ergo accepistis baptismum, credidistis. Nefas est enim me aliud aestimare; neque enim vocatus esses ad gratiam, nisi dignum te Christus sua gratia iudicasset.

2 Ergo quid egimus sabbato? nempe apertionem. Quae mysteria celebrata sunt apertionis, quando tibi aures tetigit sacerdos et nares[2]? Quod significat in evangelio dominus noster Iesus Christus, cum ei oblatus esset surdus et mutus, et tetigit aures eius et os eius, aures, quia surdus erat, os, quia mutus,

[1] Haec particula *et* a Maurinis ita explicatur: Non solum in hac aut in alia qualibet ecclesia, verum etiam in omnium nobilissima baptizati fideles nominantur. Melius autem illud *et* respondet sequenti: '*et* pater noster', ita ut sensus sit: Non solum Romae baptizati fideles dicuntur, sed etiam Abraham ex fide iustificatus est. [2] De myst. 1, 3.

et ait: *Ephpheta*[1]. Hebraicum verbum est, quod latine dicitur: adaperire. Ideo ergo tibi sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuae ad sermonem et ad adloquium sacerdotis.

3 Sed dicis mihi: Quare nares? Ibi, quia mutus erat, os tetigit, ut, quia loqui non poterat sacramenta caelestia, vocem acciperet a Christo. Et ibi, quia vir; hic, quia mulieres baptizantur et non eadem puritas servi, quanta et domini; cum enim ille peccata concedat, huic peccata donentur, quae potest esse comparatio? Ideo propter gratiam operis et muneris non os tangit episcopus[2], sed nares, ut bonum odorem accipias pietatis aeternae et ut dicas: *Christi enim bonus odor sumus deo*[3], quemadmodum dixit apostolus sanctus, et sit in te fidei devotionisque plena fragrantia.

Cap. 2. De unctione et abrenuntiatione baptizandi.

4 Venimus ad fontem, ingressus es; considera quos videris, quid locutus sis considera, repete diligenter. Occurrit tibi levita, occurrit presbyter; unctus es quasi athleta Christi, quasi luctam huius saeculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina. Qui luctatur, habet quod speret; ubi certamen, ibi corona. Luctaris in saeculo, sed coronaris a Christo, et pro certaminibus saeculi coronaris. Nam etsi in caelo praemium, hic tamen meritum praemii conlocatur.

5 Quando te interrogavit: Abrenuntias diabolo et operibus eius, quid respondisti? Abrenuntio[5]. Abrenuntias saeculo et voluptatibus eius, quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui, et numquam tibi excidat tuae series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, ut pecuniam eius accipias: teneris adstrictus, et reluctantem te fenerator adstringit; si recusas, vadis ad iudicem atque illic tua cautione convinceris.

6 Ubi promiseris considera, vel quibus promiseris. Le-

[1] Marc. 7, 34. [2] Ergo apertio aurium et narium fiebat per episcopum. [3] 2 Cor. 2, 15. [4] De hac unctione in libro De myst. nihil legitur; attamen mentio eius fit apud Cyrillum (cat. myst. 2, 3) et apud Ioh. Chrys. (ad Coloss. hom. 6, 4), ex quibus discimus, eam unctionem toto corpore factam esse. [5] De myst. 2, 5.

vitam vidisti, sed minister est Christi. Vidisti illum ante altaria ministrare. Ergo chirographum tuum tenetur non in terra, sed in caelo. Considera, ubi capias sacramenta caelestia. Si hic corpus est Christi, hic et angeli constituti sunt. *Ubi corpus, ibi et aquilae*[1], legisti in evangelio. Ubi corpus Christi, ibi et aquilae volare consuerunt, ut terrena fugiant, caelestia petant. Quare hoc dico? Quia et homines angeli, quicumque adnuntiant Christum, et in angelorum adscisci videntur locum. 7 Quomodo? Accipe Baptistae rationem. Iohannes natus erat ex viro et muliere; attamen audi, quia angelus est et ipse: *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam et praeparabit viam tuam ante te*[2]. Accipe aliud Malachiae prophetae: *Quia labia sacerdotis custodiunt scientiam et legem exquirunt ex ore ipsius; angelus est enim dei omnipotentis*[3]. Haec ideo dicuntur, ut sacerdotis gloriam praedicemus, non ut aliquid personalibus meritis adrogetur.

8 Ergo abrenuntiasti mundo, abrenuntiasti saeculo, esto sollicitus. Qui pecuniam debet, semper cautionem suam considerat; et tu, qui fidem debes Christo, fidem serva, quae multo pretiosior quam pecunia est; fides enim aeternum patrimonium est, pecunia temporale. Et tu ergo semper recordare, quid promiseris, et eris cautior. Si teneas promissionem tuam, tenebis et cautionem tuam.

Cap. 3. In baptismo maiora sunt, quae non videntur, quam quae videntur.

9 Deinde accessisti propius; vidisti fontem, vidisti et sacerdotem supra fontem. Nec hoc possum dubitare, quod in animum vestrum non potuerit cadere, quod cecidit in illum Syrum Naaman; quia etsi mundatus est, tamen ante dubitavit. Quare? Dicam, accipe.

10 Ingressus es, vidisti aquam, vidisti sacerdotem, vidisti levitam. Ne forte aliquis dixerit: Hoc est totum? immo est totum. Vere totum, ubi tota innocentia, tota pietas, tota gratia, tota sanctificatio. Vidisti, quae videre potuisti oculis tui cor-

[1] Matth. 24, 28. [2] Matth. 11, 10. [3] Mal. 2, 7.

poris et humanis conspectibus; non vidisti illa, quae operantur, quia non videntur. Illa multo maiora sunt, quae non videntur, quam quae videntur; quoniam quae videntur, temporalia sunt, quae non videntur, aeterna.

Cap. 4. Sacramenta christianorum diviniora et priora sunt quam Iudaeorum.

11 Ergo dicamus primum, tene cautionem vocis meae et exige. Miramur mysteria Iudaeorum, quae patribus nostris data sunt, primum vestutate sacramentorum, deinde sanctitate praestantia. Illud promitto, quod diviniora et priora sacramenta sunt christianorum quam Iudaeorum.

12 Quid praecipuum quam quod per mare transiit Iudaeorum populus? ut de baptismo interim loquamur. Attamen, qui transierunt Iudaei, mortui sunt omnes in deserto. Ceterum qui per hunc fontem transit, hoc est, a terrenis ad caelestia (hic est enim transitus, ideo pascha, hoc est, transitus eius, transitus a peccato ad vitam, a culpa ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem), qui per hunc fontem transit, non moritur, sed resurgit.

Cap. 5. De historia leprosi Naaman et de baptismo Christi.

13 Naaman ergo leprosus erat; puella quaedam ait uxori illius: Dominus meus si vult mundari, vadat in terram Israel et ibi inveniet eum, qui possit ei lepram tollere. Dixit illa dominae suae, uxor marito, Naaman regi Syriae, qui eum quasi acceptissimum sibi misit ad regem Israel. Audivit rex Israel, quod missus esset ad eum, cuius lepram mundaret, et scidit vestem suam. Tunc Elisaeus propheta mandat ei: Quid est quod scidisti vestem, quasi non sit deus potens, qui mundet leprosum? Mitte illum ad me. Misit illum; cui advenienti ait propheta: Vade in Iordanem, merge et sanaberis. 14 Ille coepit cogitare secum et dicere: Hoc est totum? Veni de Syria in terram Iudaeam, et dicitur mihi: Vade et descende in Iordanem, merge et sanaberis; quasi flumina meliora non sint in patria mea. Dixerunt ergo ei servi: Domine, quare non facis verbum prophetae? Magis fac et experire. Tunc ille ivit in Iordanem, mersit et surrexit sanus.

15 Quid ergo significat? Vidisti aquam; sed non aqua omnis sanat, sed aqua sanat, quae habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio; aliud opus[1], aliud operatio. Aqua opus est, operatio spiritus sancti est. Non sanat aqua, nisi spiritus descenderit et aquam illam consecraverit[2]; sicut legisti, quod, cum dominus noster Iesus Christus formam baptismatis daret, venit ad Iohannem, et ait illi Iohannes: *Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me! Respondit illi Christus: Sine modo. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam*[3]. Vide, quia omnis iustitia in baptismate constituta est[4].

16 Ergo quare Christus descendit, nisi ut caro ista mundaretur, caro quam suscepit de nostra conditione? Non enim ablutio peccatorum suorum Christo necessaria erat, qui peccatum non fecit; sed nobis erat necessaria, qui peccato manemus obnoxii. Ergo si propter nos baptismum, nobis forma est constituta, fidei nostrae forma proposita est.

17 Descendit Christus; Iohannes adstabat, qui baptizabat, et ecce quasi columba spiritus sanctus descendit. Non columba descendit, sed quasi columba[5]. Memento quid dixerim: Christus carnem suscepit, non sicut carnem; sed carnis istius veritatem, veram carnem Christus suscepit; spiritus autem sanctus non in veritate columbae, sed in specie columbae descendit de caelo. Ergo vidit Iohannes et credidit.

18 Descendit Christus, descendit et spiritus sanctus. Quare prior Christus descendit, postea spiritus sanctus, cum forma baptismatis et usus hoc habeat, ut ante fons consecretur et tunc descendat, qui baptizandus est? Nam ubi primum ingreditur sacerdos, exorcismum facit secundum creaturam aquae, invocationem postea et precem defert, ut sanctificetur fons et adsit praesentia trinitatis aeternae; Christus autem ante descendit, secutus est spiritus. Qua ratione? Ut non quasi ipse egere do-

[1] i. e. res seu elementum. [2] Effectum baptismi repetit auctor ex consecratione aquae. [3] Matth. 3, 14 s. [4] Ambros. ap. David 5, 8: Ad illud ergo perfectum tota intentione festinat, quo iustitia omnis impletur, quod est baptismatis sacramentum. [5] De myst. 4, 24.

minus Iesus sanctificationis mysterio videretur, sed sanctificaret ipse, sanctificaret et spiritus.

19 Ergo descendit in aquam Christus, et spriritus sanctus sicut columba descendit. Pater quoque deus e caelo locutus est. Habes praesentiam trinitatis.

Cap. 6. Transitus maris rubri et diluvium sunt figurae baptismi.

20 In mari autem rubro figuram istius baptismatis exstitisse ait apostolus dicens: *Quia patres nostri omnes baptizati sunt in nube et in mari.* Et subdidit: *Haec autem omnia in figura facta sunt illis*[1]: illis in figura, sed nobis in veritate. Tunc Moyses virgam tenebat, conclusus erat populus Iudaeorum, instabat Aegyptius cum armis ex una parte, et ex altera parte mari claudebantur Hebraei; neque maria transire poterant neque in hostem recurrere: murmurare coeperunt. 21 Vide, non te provocet, quia exauditi sunt. Etsi exaudivit dominus, tamen culpa non carent, qui murmuraverunt. Tuum est, ubi constringeris, credere, quod evadas, non murmurare; invocare, rogare, non querelam expromere.

22 Tenebat virgam Moyses et ducebat populum Hebraeorum in nocte in columna lucis, in die in columna nubis. Lux quid est nisi veritas, quia apertum et plenum lumen effundit? Columna lucis quid est, nisi Christus dominus, qui tenebras infidelitatis depulit, lucem veritatis et gratiae spiritalis adfectibus infudit humanis? At vero columna nubis est spiritus sanctus. In mari erat populus, et praeibat columna lucis; deinde sequebatur columna nubis, quasi umbratio spiritus sancti. Vides quod per spiritum sanctum et per aquam typum baptismatis demonstraverit.

23 In diluvio quoque fuit iam tunc figura baptismatis, et adhuc utique non erant mysteria Iudaeorum. Si ergo huius baptismatis forma praecessit, vides superiora mysteria christianorum, quam fuerint Iudaeorum.

24 Sed interim secundum fragilitatem vocis nostrae et

[1] 1 Cor. 10, 2. 6.

secundum temporis rationem satis sit hodie etiam de sacro fonte libasse mysteria. Crastina die, si dominus dederit loquendi potestatem vel copiam, plenius intimabo. Opus est, ut sanctitas vestra aures paratas habeat, promptiorem animum, ut ea, quae nos conligere possumus de serie scripturarum et vobis intimaverimus, tenere possitis, ut habeatis gratiam patris et filii et spiritus sancti. Cui trinitati perpetuum est regnum a saeculis et nunc et semper et in omnia saecula saeculorum.

LIBER SECVNDVS.

Cap. 1. De diluvio iterum et de baptismatis gentium et Iudaeorum.

1 In diluvio quoque figuram baptismatis praecessisse hesterno coepimus disputare. Quid est diluvium, nisi in quo iustus ad seminarium iustitiae reservatur, peccatum moritur? Ideo dominus ut vidit hominum pullulare delicta, iustum solum cum sua progenie reservavit, aquam autem supra montes quoque exire praecepit. Et ideo in illo diluvio omnis corruptela carnis interiit, sola iusti prosapia et forma permansit. Nonne hoc est diluvium, quod est baptisma, quo peccata omnia diluuntur, sola iusti mens et gratia resuscitatur?

2 Multa sunt genera baptismatum, sed unum baptisma, clamat apostolus. Quare? Sunt baptismata gentium, sed non sunt baptismata. Lavacra sunt, baptismata esse non possunt. Caro lavatur, non culpa diluitur, immo in illo lavacro contrahitur. Erant autem baptismata Iudaeorum, alia superflua, alia in figura. Et figura ipsa nobis proficit, quia veritatis est nuntia.

Cap. 2. De paralytico apud piscinam probaticam sanato.

3 Quid lectum est heri? Angelus, inquit, secundum tempus descendebat in piscinam, et quotiescumque descendisset angelus, movebatur aqua, et qui prior descendisset, sanabatur ab omni languore, quocumque tenebatur[1]. Quod significat figuram venturi domini nostri Iesu Christi.

[1] Haec lectio evangelica in codicibus saeculi noni missalis Ambrosiani adest feria tertia post pascha in missa pro baptizatis, et eodem die hodie quoque in missali Ambrosiano cernitur (cfr. Ballerini in editione op. Ambros., tom. IV 466).

4 Angelus quare? Ipse est enim magni consilii angelus. Secundum tempus, quod ad horam novissimam servabatur, ut in occasu ipso diem deprehenderet et differret occasum. Quotiescumque ergo descendisset angelus, movebatur aqua. Dicis fortasse: Quare modo non movetur? Audi quare? Signa incredulis, fides credentibus. 5 Qui prior descendisset, sanabatur ab omni infirmitate. Quid est prior: tempore, an honore? Utrumque intellege. Si tempore, prior qui descendisset, sanabatur ante, hoc est, de populo Iudaeorum magis quam de populo nationum. Si honore, qui prior descendisset, hoc est, qui haberet dei metum, studium iustitiae, gratiam caritatis, castitatis adfectum, ipse magis sanabatur. Tamen tunc temporis unus sanabatur, tunc, inquam, temporis in figura qui prior descendisset, solus curabatur. Quanto maior est gratia ecclesiae, in qua omnes salvantur, quicumque descendunt!

6 Sed videte mysterium. Venit dominus noster Iesus Christus ad piscinam, multi aegri iacebant. Et facile ibi multi aegri iacebant, ubi unus tantummodo curabatur. Deinde ait ad illum paralyticum: Descende. Ait ille: *Hominem non habeo*[1]. Vide, ubi baptizaris. Unde sit baptisma, nisi de cruce Christi, de morte Christi? Ibi est omne mysterium, quia pro te passus est. In ipso redimeris, in ipso salvaberis.

7 *Hominem*, inquit, *non habeo;* hoc est, *quia per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum.* Non poterat descendere, non poterat salvari, qui non credebat, quod dominus noster Iesus carnem suscepisset ex virgine. Hic autem qui opperiebatur mediatorem dei et hominum, hominem Iesum Christum, exspectans eum, de quo dictum est: *Et mittet dominus hominem qui salvos faciat eos*[2], dicebat: *Hominem non habeo*; et ideo ad sanitatem meruit pervenire, quia credebat in advenientem. Melior tamen et perfectior fuisset, si credidisset iam venisse, quem sperabat esse venturum.

Cap. 3. Conclusio ex supradictis.

8 Nunc vide singula. Diximus figuram praecessisse in

[1] Ioh. 5, 7. [2] Isai. 19, 20.

Iordane, quando Naaman leprosus ille mundatus est. Puella illa ex captivis quae est, nisi quae speciem habebat ecclesiae et figuram repraesentabat? Captivus enim erat populus nationum, captivus erat, non dico captivitatem sub hoste aliquo populo constitutam; sed eam captivitatem dico, quae maior est, quando diabolus cum suis saevo dominatur imperio et captiva sibi colla subicit peccatorum.

9 Ergo habes unum baptisma, aliud in diluvio, habes tertium genus, quando in mari rubro baptizati sunt patres, habes quartum genus in piscina, quando movebatur aqua. Nunc te consulo, utrum credere debeas, quia habes praesentiam trinitatis in hoc baptismate, quo baptizatur in ecclesia.

Cap. 4. Aliae duae baptismi figurae.

10 Idem itaque dominus noster Iesus Christus in evangelio suo dicit ad apostolos: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine patris et filii et spiritus sancti*[1]. Sermo hic salvatoris est.

11 Dic mihi, o homo. Invocavit Elias de caelo ignem, et descendit ignis de caelo[2]. Invocavit Elisaeus domini nomen, et de aqua ferrum securis adscendit, quod demersum fuerat[3]. Ecce aliud genus baptismatis. Quare? Quia omnis homo ante baptismum quasi ferrum premitur atque demergitur; ubi baptizatus fuerit, non tamquam ferrum, sed tamquam iam levior fructuosi ligni species elevatur. Ergo et hic figura altera. Securis erat, qua caedebantur ligna. Cecidit manubrium de securi, hoc est, ferrum demersum est. Filius prophetae nescivit, quid faceret; sed hoc solum scivit, ut rogaret Elisaeum prophetam et remedium postularet. Tunc ille lignum misit, et ferrum levatum est. Vides ergo, quod in cruce Christi omnium hominum levatur infirmitas.

12 Aliud, etsi non ordinem tenemus; quis enim possit omnia gesta comprehendere Christi, sicut apostoli dixerunt? Moyses cum venisset in desertum et sitisset populus et venisset ad Merrha fontem et bibere vellet aquam, quia, ubi primum

[1] Matth. 28, 10. [2] 3 Reg. 18, 38. [3] 4 Reg. 6, 5.

hausit, amaritudinem sensit et coepit bibere non posse, ideo Moyses misit lignum in fontem, et coepit aqua, quae antea erat amara, dulcescere[1]. 13. Quid significat, nisi quia omnis creatura, corruptelae obnoxia, aqua amara est omnibus? Etsi ad tempus suavis est, etsi ad tempus iucunda, amara tamen est, quae non potest auferre peccatum. Ubi biberis, sities; ubi potus ceperis suavitatem, iterum amaritudinem senties. Amara ergo aqua; sed ubi crucem Christi, ubi acceperis caeleste sacramentum, incipit esse dulcis et suavis; et merito dulcis, in qua culpa revocatur. Ergo si in figura tantum valuerunt baptismata, quanto amplius valet baptisma in veritate?

Cap. 5. Ad preces baptizantis adest sancta trinitas.

14 Nunc ergo consideremus. Venit sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat patris nomen, praesentiam filii et spiritus sancti: utitur verbis caelestibus. Caelestia verba, quae Christi sunt, quod baptizemus in nomine patris et filii et spiritus sancti. Si ergo ad hominum sermonem, ad invocationem sancti aderat praesentia trinitatis, quanto magis ibi adest, ubi sermo operatur aeternus? Vultis scire, quia descendit spiritus? Audisti, quia quasi columba descendit. Quare quasi columba? Ut increduli vocarentur ad fidem. In principio signum debuit esse, in posterioribus debet esse perfectio.

15 Accipe aliud: Post mortem domini nostri Iesu Christi apostoli erant in uno loco et orabant in die pentecostes, et subito factus est magnus sonus, quasi cum vi magna spiritus ferretur, et visae sunt linguae dispersae, sicut ignis. Quid hoc significat nisi descensum spiritus sancti, qui se voluit incredulis etiam corporaliter demonstrare, hoc est, corporaliter per signum, spiritaliter per sacramentum? Ergo manifestum testimonium eius adventus, nobis autem fidei iam praerogativa defertur; quia in principio signa incredulis fiebant, nobis iam in plenitudine ecclesiae non signo, sed fide veritas conligenda est.

Cap. 6. Baptismus ad homines resuscitandos inventus est.

16 Nunc disputemus, quid sit quod dicitur baptisma?

[1] Ex. 15, 23; Ambros. de myst. 3, 14.

Venisti ad fontem, descendisti in eum, adtendisti summum sacerdotem, levitas et presbyterum in fonte vidisti. Quid est baptismum?

17 In principio deus noster hominem fecit, ut, si peccatum non gustaret, morte non moreretur. Peccatum contraxit, factus est obnoxius morti, eiectus est de paradiso. Sed dominus, qui sua vellet beneficia permanere et insidias omnes abolere serpentis, rescindere quoque omne quod nocuit, primum quidem sententiam tulit in hominem: *Terra es et in terram ibis*[1], et morti hominem fecit obnoxium. Erat divina sententia, solvi humana conditione non poterat. Remedium datum est, ut homo moreretur et resurgeret. Quare? Ut illud, quod ante damnationis loco cesserat, loco cederet beneficii. Quid illud est nisi mors? Quaeris quomodo? Quia mors interveniens finem facit peccati. Quando enim morimur, utique peccare desistimus. Satisfactum ergo sententiae videbatur, quia homo, qui factus fuerat ut viveret, si tamen non peccaret, incipiebat mori. Sed ut dei perpetua gratia perseveraret, mortuus est homo: sed Christus invenit resurrectionem, id est, ut redintegraret caeleste beneficium, quod fraude fuerat serpentis amissum. Utrumque ergo pro nobis: quia et mors finis est peccatorum, et resurrectio naturae est reformatio.

18 Verumtamen ne in hoc saeculo diaboli fraus vel insidiae praevalerent, inventum est baptisma. De quo baptismate audi, quid dicat scriptura, immo filius dei, quia pharisaei, qui noluerunt baptizari baptismo Iohannis, consilium dei spreverunt. Ergo baptismum consilium dei est. Quanta est gratia, ubi est consilium dei!

19 Audi ergo; nam ut in hoc quoque saeculo nexus diaboli solveretur, inventum est quomodo homo vivus moreretur et vivus resurgeret. Quid est vivus? Hoc est vita corporis vivens, cum veniret ad fontem et mergeretur in fontem. Quid est aqua, nisi de terra? Satisfit ergo sententiae caelesti sine mortis stupore. Quod mergis, solvitur sententia illa: *Terra es et in terram ibis;*

[1] Gen. 3, 19.

impleta sententia, locus est beneficio remedioque caelesti. Ergo aqua de terra, possibilitas autem vitae nostrae non admittebat, ut terra operiremur et de terra resurgeremus. Deinde non terra lavat, sed aqua lavat; ideo fons quasi sepultura est.

Cap. 7. De triplici inmersione et de confirmatione.

20 Interrogatus es: Credis in deum patrem omnipotentem? Dixisti: Credo, et mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in dominum nostrum Iesum Christum et in crucem eius? Dixisti: Credo, et mersisti; ideo et Christo es consepultus; qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es: Credis et in spiritum sanctum? Dixisti: Credo, tertio mersisti, ut multiplicem lapsum superioris aetatis absolveret trina confessio[1].

21 Denique ut vobis adferamus exemplum, sanctus apostolus Petrus, posteaquam in passione domini lapsus videretur infirmitate conditionis humanae, qui antea negaverat, postea ut illum lapsum aboleret et solveret, tertio interrogatur a Christo, si Christum amaret; tunc ille dicit: *Tu nosti, domine, quia amo te*[2]. Tertio dixit, ut tertio absolveretur.

22 Sic ergo peccatum dimittit pater, sicut dimittit filius, sic et spiritus sanctus. In uno autem nomine baptizari non iussit, hoc est, in nomine patris et filii et spiritus sancti. Noli mirari, quia dixit unum nomen, ubi est una substantia, una divinitas, una maiestas. Hoc est nomen, de quo dictum est: *In quo oportet omnes salvos fieri*[3]. In hoc nomine omnes salvati estis ad gratiam vitae.

23 Clamat ergo apostolus, sicut audistis in lectione praesenti: *Quoniam quicumque baptizatur, in morte Iesu baptizatur*[4]. Quid est in morte? Ut, quomodo Christus mortuus est, sic et tu mortem degustes; quomodo Christus mortuus est peccato et deo vivit: ita et tu superioribus illecebris peccatorum mortuus sis per baptismatis sacramentum et surrexeris per gratiam Christi. Mors ergo est, sed non in mortis corporalis veritate, sed in

[1] De myst. 5, 28. Eadem forma huius sacramenti legitur apud Cyrillum, cat. myst. 2, 4. [2] Ioh. 21, 15 squ. [3] Act. 4, 12. [4] Rom. 6, 3.

similitudine; cum enim mergis, mortis suscipis et sepulturae similitudinem; crucis illius accipis sacramentum, quod in cruce Christus pependit, et clavis confixum est eius corpus. Tu ergo cum crucifigeris, Christo adhaeres, clavis domini nostri Iesu Christi adhaeres, ne te diabolus possit abstrahere. Teneat te clavus Christi, quem revocat humanae conditionis infirmitas.

24 Ergo mersisti, venisti ad sacerdotem: quid tibi dixit? Deus, inquit, pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua et spiritu sancto concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam aeternam[1]. Vide ubi unctus es: in vitam, inquit, aeternam. Noli hanc vitam illi vitae anteferre. Verbi gratia, si exsurgat inimicus aliquis, si velit tibi fidem tuam auferre, si minatur mortem, ut praevaricetur quisquam, vide quid eligas; noli eligere illud, in quo non es unctus, sed elige illud, in quo unctus es, ut vitam aeternam vitae praeferas temporali. Per Christum dominum nostrum. Amen.

LIBER TERTIVS.

Cap. 1. De unctione capitis et lotione pedum post baptismum.

1 Hesterno die de fonte disputavimus, cuius species veluti quaedam sepulcri forma est; in quem credentes in patrem et filium et spiritum sanctum recipimur et demergimur et surgimus, hoc est, resuscitamur. Accipis autem *μύρον*, hoc est, unguentum supra caput. Quare supra caput? Quia sensus sapientis in capite eius, Salomon ait[2]; friget enim sapientia sine gratia; sed ubi gratiam acceperit sapientia, tunc opus eius incipit esse perfectum. Haec regeneratio dicitur.

2 Quid est regeneratio? Habes in Actibus apostolorum, quod ille versiculus qui dicitur in psalmo secundo: *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* ad resurrectionem spectare videatur[3]. Namque sanctus apostolus Petrus[4] in Actibus apostolorum sic interpretatus est, quod tunc, quando resurrexit filius a mortuis,

[1] Haec unctio non confundenda est cum sacramento confirmationis, ut fecit Schermann (Röm. Quart. 1903, 244); cfr. De myst. 6, 29 et 7, 42. De confirmatione agitur infra III 2. [2] Eccl. 2, 14. [3] Act. 13, 33. [4] Immo Paulus.

patris vox resultaverit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Unde et primogenitus a mortuis dicitur. Ergo resurrectio quid est, nisi quando de morte ad vitam resurgimus? Sic ergo et in baptismate, quoniam similitudo mortis est, sine dubio, dum mergis et resurgis, similitudo fit resurrectionis. Recte itaque secundum interpretationem apostoli Petri, sicut illa resurrectio regeneratio fuit, ita et ista resurrectio regeneratio est.

3 Sed quid dicis, quia in aquam mergis? Ideo peregrinaris, ideo te dubitatio tenet? Legimus quidem: *Producat terra ex se fructum germinantem.* Similiter et de aquis legisti: *Producant aquae animantia*, et nata sunt animantia. Illa quidem in principio creaturae; sed tibi reservatum est, ut aqua te regeneret ad gratiam, sicut alia generavit ad vitam. Imitare illum piscem, qui minorem quidem adeptus est gratiam, tamen debet tibi esse miraculo. In mari est et super undas est; in mari est et super fluctus natat. In mari tempestas furit, stridunt procellae; sed piscis natat, non demergitur, quia natare consuevit. Ergo et tibi hoc saeculum mare est. Habet diversos fluctus, undas graves, saevas tempestates. Et tu esto piscis, ut saeculi te unda non mergat. Pulchre autem pater dicit ad filium: *Ego hodie genui te;* hoc est, quando redemisti populum, quando ad caeli regnum vocasti, quando implesti voluntatem meam, probasti meum esse te filium.

4 Adscendisti de fonte, quid secutum est? Audisti lectionem. Succinctus summus sacerdos; licet enim et presbyteri fecerint, tamen exordium ministerii a summo est sacerdote[1]. Succinctus, inquam, summus sacerdos pedes tibi lavit. Quod est istud mysterium? Audisti utique, quia dominus, cum lavisset discipulis aliis pedes, venit ad Petrum, et ait illi Petrus: *Tu mihi lavas pedes?* Hoc est, tu dominus servo lavas pedes? tu immaculatus mihi lavas pedes? tu auctor caelorum mihi lavas pedes? Habes hoc et alibi: *Venit ad Iohannem, et ait illi Iohannes: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me*[2]*?* Ego

[1] De hac pedum lotione cfr. De myst. 6. 31—33. [2] Matth. 3, 14.

sum peccator, et tu venis ad me peccatorem, ut tua quasi peccata deponas, qui peccatum non feceris? Vide omnem iustitiam, vide humilitatem, vide gratiam, vide sanctificationem: *Nisi lavero*, inquit, *tibi pedes, non habebis mecum partem.*

5 Non ignoramus, quod ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus sequimur et formam; hanc tamen consuetudinem non habet, ut pedes lavet. Vide ergo, forte propter multitudinem declinavit. Sunt tamen, qui dicant et excusare conentur, quia hoc non in mysterio faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione, sed quasi hospiti pedes lavandi sint. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi, quia mysterium est et sanctificatio: *Nisi lavero tibi pedes, non habebis mecum partem.* Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, sed mea officia ipse commendem. In omnibus cupio sequi ecclesiam Romanam; sed tamen et nos homines sensum habemus; ideo, quod alibi rectius servatur, et nos rectius custodimus.

6 Ipsum sequimur apostolum Petrum, ipsius inhaeremus devotioni. Ad hoc ecclesia Romana quid respondet? Utique ipse auctor est nobis huius adsertionis Petrus apostolus, qui sacerdos fuit ecclesiae Romanae. Ipse Petrus ait: *Domine, non solum pedes, sed etiam manus et caput.* Vide fidem. Quod ante excusavit, humilitatis fuit; quod postea obtulit, devotionis et fidei.

7 Respondit illi dominus, quia dixerat manus et caput: *Qui lavit, non necesse habet iterum lavare, nisi ut solos pedes lavet*[1]. Quare hoc? Quia in baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa; sed quia Adam subplantatus a diabolo est, et venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavas pedes; ut in ea parte, in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat, quo postea te subplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis[2]. Ad hu-

[1] Ioh. 13, 10. [2] Explicationem s. Ambrosii, quod pedum lotione haereditaria peccata, i. e. peccatum originale, deleantur, auctor non repetit.

militatem quoque proficit, ut in mysterio non erubescamus, quod dedignamur in obsequio.

Cap 2. De confirmatione et accessu ad altare.

8 Sequitur spiritale signaculum [1], quod audistis hodie legi; quia post fontem superest, ut perfectio fiat; quando ad invocationem sacerdotis spiritus sanctus infunditur, spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii atque virtutis, spiritus cognitionis atque pietatis, spiritus sancti timoris: septem quasi virtutes spiritus. 9 Et omnes quidem virtutes ad spiritum pertinent; sed istae quasi cardinales sunt, quasi principales. Quid enim tam principale, quam pietas? quid tam principale, quam cognitio dei? quid tam principale, quam virtus? quid tam principale, quam consilium dei? quid tam principale, quam timor dei? Sicut timor saeculi infirmitas, ita timor dei magna est fortitudo. 10 Istae sunt septem virtutes, quando consignaris. Nam ut ait apostolus sanctus: *Quia multiformis est*, inquit, *sapientia dei nostri* [2]. Et ut multiformis est spiritus sanctus, qui habet diversas variasque virtutes. Unde et deus virtutum dicitur: quod aptari potest patri et filio et spiritui sancto. Sed hoc alterius disputationis, alterius est temporis.

11 Post haec quid sequitur? Venire habes ad altare, quoniam venisti; videre habes, quae ante non videbas, hoc est, mysterium quod legisti in evangelio; si tamen non legisti, certe audisti. Caecus obtulit se salvatori, ut curaretur; et ille, qui alios verbo tantum et sermone curabat et refundebat imperio lumen oculorum, tamen in libro evangelii, qui scribitur secundum Iohannem, qui vere prae caeteris vidit magna mysteria et designavit et declaravit, mysterium hoc in illo voluit praefigurare. Omnes quidem sancti evangelistae, omnes apostoli praeter proditorem omnes sancti; tamen sanctus Iohannes, qui ultimus scripsit evangelium, quasi necessarius requisitus et electus a Christo, maiore quadam tuba fudit aeterna mysteria. Quidquid locutus est, mysterium est. Alius dixit caecum curatum, dixit

[1] i. e. sacramentum confirmationis. [2] Eph. 3, 10.

Matthaeus, dixit Lucas, dixit Marcus; solus Iohannes quid ait? *Tulit lutum et linivit super oculos eius et dixit ei: Vade in Siloam. Et exsurgens ivit et lavit et venit videns*[1].

12 Considera et tu oculos cordis tui. Videbas, quae corporalia sunt, corporalibus oculis; sed quae sacramentorum sunt, cordis oculis adhuc videre non poteras. Ergo quando dedisti nomen tuum[2], tulit lutum et linivit super oculos tuos. Quid significat? Ut peccatum tuum fatereris[3], ut conscientiam tuam recognosceres, ut paenitentiam ageres delictorum, hoc est, sortem humanae generationis agnosceres. Nam etiamsi non confiteatur peccatum qui venit ad baptismum, tamen hoc ipso implet confessionem omnium peccatorum, quod baptizari petit, ut iustificetur, hoc est, ut a culpa ad gratiam transeat.

13 Nolite otiosum putare. Sunt quidam, scio certe aliquem fuisse qui diceret, cum illi diceremus: In hac aetate[4] magis baptizari debes, dicebat ille: Quare baptizor? Peccatum non habeo. Numquid peccatum contraxi? Hic lutum non habuit, quod ei Christus non laverat, hoc est, non ei aperuerat oculos; nullus enim homo sine peccato. 14 Ergo agnoscit se hominem, qui confugit ad baptismum Christi. Itaque et tibi inposuit lutum, hoc est, verecundiam, prudentiam, considerationem fragilitatis tuae, et dixit tibi: *Vade in Siloam.* Quid est Siloas? *Quod interpretatur*, inquit, *missus*, hoc est: Vade ad illum fontem, in quo crux domini praedicatur; vade ad illum fontem, in quo omnium Christus redemit errores.

15 Isti, lavisti, venisti ad altare, videre coepisti, quae ante non videras; hoc est, per fontem domini et praedicationem dominicae passionis tunc aperti sunt oculi tui; qui ante corde videbaris esse caecatus, coepisti lumen sacramentorum videre. Ergo, fratres dilectissimi, venimus usque ad altare, ad tractatum uberiorem. Et ideo, quia id temporis est, disputationem integram

[1] Ioh. 9, 6 s. [2] Nomen suum catechumeni dabant ad baptismum, quando in competentium ordinem admittebantur. [3] Veterum mos erat, peccata confiteri ante baptismum; cfr. Matth. 3, 6 et Tert. de bapt. 19 (al. 20). [4] i. e. puerili aetate.

non possumus incipere, quia prolixior tractatus est, satis sit, quod dictum est hodie; et crastina die, si domino placet, de sacramentis ipsis tractabimus.

LIBER QVARTVS.

Cap. 1. Secundum tabernaculum veteris testamenti erat figura baptisterii.

1 In veteri testamento sacerdotes frequenter in primum tabernaculum intrare consueverant; in secundum tabernaculum semel in anno summus intrabat sacerdos. Quod evidenter ad Hebraeos recolens, seriem veteris testamenti explanat apostolus Paulus. Erat autem in secundo tabernaculo manna, erat etiam virga Aaron, quae aruit et postea refloruit, erat et thymiamaterium. 2 Quo spectat hoc? Ut intellegatis, quid sit secundum tabernaculum, in quod vos introduxit sacerdos, in quod semel in anno summus sacerdos intrare consuevit, hoc est, ad baptisterium, ubi virga Aaron floruit. Ante arida erat, postea refloruit; et tu aridus eras et coepisti in fonte irriguo reflorescere. Arueras peccatis, arueras erroribus atque delictis; sed fructum iam adferre coepisti, plantatus secus decursus aquarum.

3 Sed forte dicas: Quid hoc ad populum, si virga sacerdotis aruerat et refloruit? Populus ipse quis est nisi sacerdo talis? Quibus dictum est: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*[1], ut ait apostolus Petrus. Unusquisque ungitur in sacerdotium, ungitur et in regnum; sed spiritale regnum est et sacerdotium spiritale.

4 In secundo quoque tabernaculo est thymiamaterium, quod bonum odorem fragrare consuevit; ita et vos iam bonus odor Christi estis, iam nulla in vobis sors[2] delictorum, nullus odor gravioris erroris.

Cap. 2. De accessu baptizatorum ad altare.

5 Sequitur, ut veniatis ad altare. Coepistis venire: spectarunt angeli, viderunt vos advenientes, et humanam conditionem illam, quae ante peccatorum tenebroso squalore sordebat, ad-

[1] 1 Petr. 2, 9. [2] i. e. sordes; eadem vox legitur apud Ambros. in hexaemeron IV 1, 1.

spexerunt subito refulgere. Ideoque dixerunt: *Quae est haec, quae adscendit a deserto dealbata?*[1] Mirantur ergo et angeli. Vis scire quia mirantur? Audi ergo apostolum Paulum[2] dicentem ea nobis esse conlata, quae concupiscunt et angeli videre. Et iterum: *Quod oculus non vidit nec auris audivit . . . . quae praeparavit deus diligentibus se*[3].

6 Deinde quid acceperis, recognosce. Sanctus David propheta hanc gratiam in figura vidit et concupivit. Vis scire quia concupierit? Iterum audi dicentem: *Adsperges me hyssopo et mundabor; lavabis me et super nivem dealbabor*[4]. Quare? Quia nix, quamvis sit candida, cito aliqua sorde nigrescit atque corrumpitur; ista gratia quam accepisti, si teneas quod accepisti, erit diuturna atque perpetua.

7 Veniebas ergo desiderans ad altare, utpote qui tantam gratiam videras; veniebas desiderans ad altare, quo acciperes sacramentum. Dicat anima tua: *Et introibo ad altare dei mei, ad deum, qui laetificat iuventutem meam*[5]. Deposuisti peccatorum senectutem, sumpsisti gratiae iuventutem: hoc praestiterunt tibi sacramenta caelestia. Denique iterum audi dicentem David: *Renovabitar sicut aquilae iuventus tua*[6]. Bona aquila esse coepisti, quae caelum petis, terrena fastidis. Bonae aquilae circa altare: *Ubi enim corpus, ibi et aquilae*[7]. Forma corporis altare est, et corpus Christi est in altari: aquilae vos estis, renovatae ablutione delicti.

Cap. 3. Mysteria christianorum sunt priora et diviniora quam Iudaeorum.

8 Venisti ad altare, vidisti sacramenta posita super altare et ipsam quidem miratus es creaturam, tamen creaturam, sollemnem et notam. 9 Forte aliquis dixerit: Iudaeis deus tantam gratiam praestitit, manna illis pluit e caelo; quid plus dedit fidelibus suis, quid plus tribuit iis, quibus plus promisit?

10 Accipe, quae dico, anteriora esse mysteria christia-

[1] Cant. 8, 5. [2] immo Petrus (1 Petr. 1, 12). [3] 1 Cor. 2, 9. [4] Ps. 50, 9. [5] Ps. 42, 4. [6] Ps. 102, 5. [7] Matth. 24, 28.

norum quam Iudaeorum et diviniora esse sacramenta christianorum quam Iudaeorum. Quomodo? Accipe. Iudaei quando esse coeperunt? Ex Iuda utique pronepote Abrahae, aut, si vis et sic intellegere, ex lege, id est, quando Iudaei legem accipere meruerunt. Ergo ex pronepote Abrahae Iudaei dicti sunt aut a tempore sancti Moysis. Et si tunc deus Iudaeis murmurantibus manna pluit e caelo, tibi autem sacramentorum horum figura praecessit, quando Abraham erat, quando vernaculos trecentos decem et octo conlegit, et ibi persecutus est adversarios, de captivitate eruens nepotem suum: tunc victor venit, occurrit illi Melchisedech sacerdos et obtulit ei panem et vinum. Quis habuit panem et vinum? Abraham non habuit. Sed quis habuit? Melchisedech. Ipse ergo auctor sacramentorum. Quis est Melchisedech? Qui significatur rex iustitiae, rex pacis. Quis est iste rex iustitiae? Numquid homo quisquam potest rex esse iustitiae? Quis ergo rex iustitiae, nisi iustitia dei, qui est dei pax, dei sapientia? Qui potuit dicere: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis*[1]. 11 Ergo primo intellege sacramenta haec, quae accipis, anteriora esse, quam sint Moysi sacramenta, quaecumque Iudaei habere se dicunt; et prius coepisse populum christianum, quam coepisse populum Iudaeorum, sed nos in praedestinatione, illum in nomine.

12 Obtulit ergo Melchisedech panem et vinum. Quis est Melchisedech? *Sine patre,* inquit, *sine matre, sine generationis ordine neque initium dierum neque finem vitae habens*[2]*:* hoc habet ad Hebraeos epistula. Sine patre, inquit, et sine matre est. Similis cui? filio dei. Sine matre natus est dei filius generatione caelesti, quia ex solo deo patre natus est; et iterum sine patre natus est, quando natus ex virgine est; non enim ex virili semine generatus est, sed natus de spiritu sancto et virgine Maria, utero editus virginali, similis per omnia filio dei. Sacerdos quoque erat Melchisedech, quia et Christus sacerdos, cui dicitur: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*[3].

[1] Ioh. 14, 27. [2] Hebr. 7, 3. [3] Ps. 109, 4.

Cap. 4. De sancta eucharistia.

13 Ergo auctor sacramentorum quis est, nisi dominus Iesus? De caelo ista sacramenta venerunt; consilium enim omne de caelo est. Vere autem magnum et divinum miraculum, quod populo pluit deus manna de caelo et non laborabat populus et manducabat.

14 Tu forte dicis: Meus panis est usitatus[1]. Sed panis iste panis est ante verba sacramentorum; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi? consecratione. Consecratio autem quibus verbis est et cuius sermonibus? domini Iesu. Nam reliqua omnia, quae dicuntur in superioribus, a sacerdote dicuntur, laudes deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris; ubi venitur, ut conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus utitur sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum.

15 Quis est sermo Christi? Nempe is, quo facta sunt omnia. Iussit dominus, et factum est caelum; iussit dominus, et facta est terra; iussit dominus, et facta sunt maria; iussit dominus, et omnis creatura generata est. Vides ergo, quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone domini Iesu, ut inciperent esse, quae non erant, quanto magis operatorius est, ut sint, quae erant, et in aliud commutentur? Caelum non erat, mare non erat, terra non erat; sed audi dicentem David: *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt*[2]. 16 Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quia iam corpus est Christi. Ipse dixit, et factum est; ipse mandavit, et creatum est. Tu ipse eras, sed eras vetus creatura; posteaquam consecratus es, nova creatura esse coepisti. Vis scire quam nova creatura? *Omnis,* inquit, *in Christo nova creatura*[3].

[1] i. e. Talis est iste panis, quali cotidie vescor. [2] Ps. 148, 5. [3] 2 Cor. 5, 17.

17 Accipe ergo, quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare consueverit et mutet, cum vult, instituta naturae. Quomodo, requiris? Accipe et primo omnium de generatione eius sumamus exemplum. Consuetudo est, ut non generetur homo, nisi ex viro et muliere et consuetudine coniugali; sed quia voluit dominus, quia hoc elegit sacramentum, de spiritu sancto et virgine natus est Christus, hoc est, *mediator dei et hominum homo Christus Iesus*[1]. Vides ergo, quia contra instituta et ordinem natus est, homo est natus ex virgine. 18 Accipe aliud. Urgebatur populus Iudaeorum ab Aegyptiis, interclusus erat mari; divino imperio virga Moyses tetigit aquas, et se unda divisit, non utique secundum suae naturae consuetudinem, sed secundum gratiam caelestis imperii. Accipe aliud. Sitiebat populus, venit ad fontem; amarus erat fons, misit lignum sanctus Moyses in fontem, et factus est dulcis fons, qui amarus erat; hoc est, mutavit consuetudinem naturae suae, accepit dulcedinem gratiae. Accipe et quartum exemplum. Ceciderat ferrum securis in aquas, quasi ferrum sua consuetudine demersum est; misit lignum Elisaeus, statim ferrum elevatum est et aquis supernatavit, utique contra consuetudinem ferri; est enim materies gravior, quam aquarum est elementum.

19 Ex his igitur omnibus non intellegis, quantum operetur sermo caelestis? Si operatus est in fonte terreno, si operatus est sermo caelestis in aliis rebus, non operatur in caelestibus sacramentis? Ergo didicisti, quod ex pane corpus fiat Christi, et quod vinum et aqua in calicem mittitur; sed fit sanguis consecratione verbi caelestis. 20 Sed forte dicis: Speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem: sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis, ut nullus horror cruoris sit et pretium tamen operetur redemptionis. Didicisti ergo, quia, quod accipis, corpus est Christi.

Cap. 5. Ipsius Christi verbis fit consecratio.

21 Vis scire, quia verbis caelestibus consecratur? Ac-

[1] 1 Tim. 2, 5.

cipe, quae sunt verba. Dicit sacerdos: Fac nobis, inquit, hanc oblationem adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem, quod figura est corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi[1]. Qui pridie quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit in caelum ad te, sancte pater omnipotens aeterne deus, gratias agens benedixit, fregit fractumque apostolis suis et discipulis suis tradidit dicens: *Accipite et edite ex hoc omnes; hoc est enim corpus meum, quod pro multis confringetur.* 22 Similiter etiam calicem, postquam cenatum est, pridie quam pateretur, accepit, respexit in caelum ad te, sancte pater omnipotens aeterne deus, gratias agens benedixit, apostolis suis et discipulis suis tradidit, dicens: *Accipite et bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus.* Vide illa omnia. Illa verba evangelistae sunt usque ad *Accipite* sive corpus sive sanguinem. Inde verba sunt Christi: *Accipite et bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus.* Et vide singula.

23 Qui pridie, inquit, quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem. Antequam consecretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem: *Accipite et edite ex eo omnes*; *hoc est enim corpus meum.* Et ante verba Christi calix est vini et aquae plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis Christi efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte, quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse dominus Iesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus et sanguinem. Numquid debemus de eius fide et testificatione dubitare?

24 Iam redi mecum ad propositionem meam. Magnum quidem et venerabile, quod manna Iudaeis pluit e caelo, sed intellege: Quid est amplius, manna de caelo an corpus Christi? corpus utique Christi, qui auctor est caeli. Deinde manna qui manducavit, mortuus est; qui manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum et non morietur in aeternum. 25 Ergo non

[1] Cfr. Canonem Serapionis nr. 12 (supra p. 27): *Ὁ ἄρτος οὗτος τοῦ ἁγίου σώματός ἐστιν ὁμοίωμα, ὅτι ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστός, ἐν ᾗ νυκτὶ παρεδίδοτο, ἔλαβεν ἄρτον καὶ ἔκλασεν* squ.

otiose dicis tu: Amen, iam in spiritu confitens, quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos: Corpus Christi, et tu dicis: Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat adfectus.

Cap. 6. De excellentia sacramenti altaris.

26 Ut scias autem hoc esse sacramentum, huius figura ante praecessit. Deinde quantum sit sacramentum, cognosce. Vide quid dicat: Quotiescumque hoc feceritis, toties commemorationem mei facietis, donec iterum adveniam [1]. 27 Et sacerdos dicit: Ergo memores gloriosissimae eius passionis et ab inferis resurrectionis et in caelum adscensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, et calicem vitae aeternae; et petimus et precamur, ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iusti Abel et sacrificium patriarchae nostri Abrahae et quod tibi obtulit summus sacerdos Melchisedech.

28 Ergo quotiescumque accipis, quid tibi dicit apostolus? Quotiescumque accipimus, mortem domini adnuntiamus. Si mortem adnuntiamus, adnuntiamus remissionem peccatorum. Si, quotiescumque effunditur sanguis, in remissionem peccatorum funditur, debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam.

29 Interim et hodie, quantum potuimus, explanavimus; sed crastina die sabbato et dominica de orationis ordine dicemus, quemadmodum possumus. Dominus deus noster conservet vobis gratiam, quam dedit, et oculos, quos vobis aperuit, plenius inluminare dignetur per unigenitum filium suum regem ac salvatorem dominum deum nostrum, per quem sibi et cum quo sibi est laus, honor, gloria, magnificentia, potestas cum spiritu sancto a saeculis et nunc et semper et in omnia saecula saeculorum. Amen.

LIBER QVINTVS.

Cap. 1. Cur aqua in calice admisceatur.

1 Hesterno sermo noster ac tractatus usque ad sancti

[1] 1 Cor. 11, 26.

altaris sacramenta deductus est. Et cognovimus sacramentorum istorum figuram Abrahae temporibus praecessisse, quando obtulit sacrificium sanctus Melchisedech, neque initium neque fidem habens dierum. Audi, homo, quid dicat Paulus apostolus ad Hebraeos. Ubi sunt, qui filium dei dicunt esse de tempore Melchisedech?[1] Dictum est, quia neque initium neque finem dierum habet; si Melchisedech non habet initium dierum, num Christus habere potuit? Sed non est plus figura quam veritas. Vides ergo, quia ipse primus et novissimus. Primus, quia auctor est omnium; novissimus, non quod finem inveniat, sed quod universa concludat.

2 Diximus ergo, quod in altari constituatur calix et panis. In calicem quid mittitur? vinum. Et quid aliud? aqua. Sed tu mihi dicis: Quomodo ergo Melchisedech panem et vinum obtulit? Quid sibi vult admixtio aquae? Rationem accipe[2].

3 Primum omnium figura, quae ante praecessit tempore Moysi quid habet? Quia cum sitiret populus Iudaeorum et murmuraret, quod aquam invenire non possent, iussit deus Moysi, ut tangeret petram de virga. Tetigit petram, et petra undam maximam fudit, sicut apostolus ait: *Bibebant autem de spiritali consequenti eos petra, petra autem erat Christus*[3]. Non immobilis petra, quae populum sequebatur. Et tu bibe, ut te Christus sequatur. Vide mysterium: Moyses, hoc est, propheta; virga, hoc est, verbum dei. Sacerdos verbo dei tangit petram, et fluit aqua, et bibit populus dei. Tangit ergo sacerdos, redundat aqua in calice, salit in vitam aeternam, et bibit populus dei, qui dei gratiam consecutus est. Didicisti ergo hoc.

4 Accipe et aliud. In tempore dominicae passionis cum sabbatum magnum instaret, quia vivebat dominus noster Iesus Christus vel latrones, missi sunt qui percuterent eos; venientes autem invenerunt defunctum dominum Iesum Christum; tunc unus

[1] De Melchisedechianis loqui videtur, qui Melchisedech non hominem, sed virtutem dei fuisse arbitrabantur; cfr. Epiphanium, haer. 35, et August., haer. 34 (Migne p. lat. 42, 31). [2] De mixtione aquae et vini in calice eucharistiae locuntur etiam Iustinus (ap. I 65), Irenaeus (a. h. V 2, 3), Cyprianus (ep. 63). [3] 1 Cor. 10, 4.

de militibus lancea tetigit latus eius, et de latere eius aqua fluxit et sanguis. Quare aqua? quare sanguis? Aqua, ut emundaret; sanguis, ut redimeret. Quare de latere? Quia unde culpa, inde gratia. Culpa per feminam, gratia per dominum Iesum Christum.

Cap. 2. Suavitas sacramentorum christianorum e Canticis inlustratur.

5 Venisti ad altare, vocat te dominus Iesus vel animam tuam vel ecclesiam et ait: *Osculetur me ab osculis oris sui*[1]. Vis ad Christum aptare? nihil gratius; vis ad animam tuam? nihil iucundius.

6 *Osculetur me.* Vides te mundum esse ab omni peccato, quia delicta detersa sunt; ideo te sacramentis caelestibus dignum iudicat et ideo invitat ad caeleste convivium: *Osculetur me ab osculis oris sui.* 7 Tamen propter sequentia anima tua vel humana conditio vel ecclesia, videns se ab omnibus mundatam esse peccatis et dignam, quae ad altare Christi possit accedere (quid est enim altare, nisi forma corporis Christi[2]), vidit sacramenta mirabilia et ait: *Osculetur me ab osculis oris sui,* hoc est, osculum mihi Christus infigat. 8 Quare? *Quia meliora ubera tua super vinum;* hoc est, meliores sensus, meliora sacramenta tua super vinum. Super illud vinum, quod, etsi suavitatem habet, laetitiam habet, gratiam habet, tamen in illo laetitia saecularis, in te autem iucunditas est spiritalis. Iam tunc ergo Salomon inducit nuptias vel Christi et ecclesiae, vel spiritus et carnis et animae.

9 Et addidit: *Unguentum exinanitum est nomen tuum, propterea adulescentulae dilexerunt te*[3]. Quae sunt istae adulescentulae, nisi animae singulorum, quae deposuerunt istius corporis senectutem, renovatae per spiritum sanctum. 10 *Adtrahe nos, post odorem unguentorum tuorum curremus*[4]. Vide, quid dicat. Non potes sequi Christum, nisi ipse te adtrahat; denique ut scias: *Cum exaltatus,* inquit, *fuero, omnia traham ad meipsum*[5]. 11 *Induxit me rex in cubiculum suum.* Graecus:

[1] Cant. 1, 1. [2] Altare forma corporis Christi dicitur eo, quod Christus in corpore suo tamquam in ara sacrificium patri obtulit. [3] Cant. 1, 2. [4] Cant. 1, 3. [5] Ioh. 12, 32.

In promptuarium suum et *in cellarium suum* habet. Ubi bona libamina, ubi boni odores, ubi mella suavia, ubi fructus diversi, ubi epulae variae, ut plurimis epulis tuum prandium condiatur.

Cap. 3. Quam uberes ad eos, qui dominicum corpus acceperunt, fructus redeant.

12 Ergo venisti ad altare, accepisti corpus Christi. Audi iterum, quae sacramenta es consecutus. Audi dicentem sanctum David, et ille in spiritu haec mysteria praevidebat et laetabatur et nihil sibi abesse dicebat. Quare? Quia, qui acceperit corpus Christi, non esuriet in aeternum.

13 Quoties audisti vicesimum secundum psalmum et non intellexisti? Vide quemadmodum aptus sit caelestibus sacramentis: *Dominus pascit me, et nihil mihi deerit; in loco pascuae ibi me conlocavit. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit. Deduxit me super semitas iustitae propter nomen suum. Nam et si ambulem in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Virga imperium, baculus passio est, hoc est, aeterna divinitas Christi, sed etiam passio corporalis; illa creavit, haec redemit. *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, et poculum meum inebrians quam praeclarum est!*

14 Venistis ergo ad altare, accepistis gratiam Christi, sacramenta estis caelestia consecuti. Gaudet ecclesia redemptione multorum et adstare sibi familiam candidatam spiritali exsultatione laetatur. Habes hoc in Canticis canticorum. Laetata invocat Christum, paratum habens convivium, quod dignum caelesti epulatione videatur. Ideoque ait: *Descendat frater meus in hortum suum et capiat fructum pomiferarum suarum*[1]. Quae sunt istae pomiferae? Lignum aridum factus eras in Adam; sed nunc per gratiam Christi pomiferae arbores pullulatis.

15 Libenter accipit dominus Iesus, et dignatione caelesti respondit ecclesiae suae: *Descendi*, inquit, *in hortum, vinde-*

[1] Cant. 5, 1.

miavi myrrham cum unguentis meis; manducavi panem meum cum melle meo et bibi vinum meum cum lacte meo. Edite, inquit, *fratres mei, et inebriamini.* 16 *Vindemiavi myrrham cum unguentis meis.* Quae est ista vindemia? Cognoscite vineam et agnoscetis vindemiam. *Vineam,* inquit, *ex Aegypto transtulisti*[1], hoc est, populum dei. Vos estis vinea, vos estis vindemia; quasi vinea plantati, quasi vindemia fructum dedistis. *Vindemiavi myrrham cum unguentis meis,* hoc est, in odorem, quem accepistis. 17 *Manducavi panem meum cum melle meo.* Vides, quod in hoc pane nulla sit amaritudo, sed omnis suavitas sit. *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Vides huiusmodi esse laetitiam, quae nullius peccati sordibus polluatur. Quotiescumque enim bibis, remissionem accipis peccatorum et inebriaris in spiritu. Unde et apostolus ait: *Nolite inebriari vino . . sed implemini spiritu sancto*[2]; vino enim qui inebriatur, vacillat et titubat; spiritu qui inebriatur, radicatus in Christo est. Et ideo praeclara ebrietas, quae sobrietatem mentis operatur. Haec sunt, quae de sacramentis breviter percurrimus.

Cap. 4. Explicatio orationis dominicae.

18 Nunc quid superest nisi oratio? Et nolite putare mediocris esse virtutis scire, quemadmodum oretis. Apostoli sancti dicebant ad dominum Iesum: *Domine, doce nos orare, quemadmodum Iohannes docuit discipulos suos*[3]. Tunc ait dominus orationem: *Pater noster, qui es in caelis; sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra; panem nostrum cotidianum da nobis hodie; et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; et ne nos patiaris induci in tentationem, sed libera nos a malo.* Vides, quam brevis oratio et omnium plena virtutum, primus sermo quantae sit gratiae!

19 O homo, faciem tuam non audebas ad caelum ad-

[1] Ps. 79, 9. [2] Eph. 5, 18. [3] Luc. 11, 1 squ. Ex Ambros. de inst. virg. 2, 10 discimus orationem dominicam ex iis mysteriis fuisse, de quibus catechumeni celabantur. Augustinus dicit (sermo 58, 1), competentes sabbato sancto symbolum et in hebdomade paschali orationem dominicam reddidisse.

tollere, oculos tuos in terram dirigebas, et subito accepisti gratiam Christi, omnia tibi peccata dimissa sunt. Ex malo servo factus es bonus filius; ideo praesume, non de operatione tua, sed de Christi gratia: *Gratia* enim *salvati estis*, apostolus ait[1]. Non ergo hic adrogantia est, sed fides; praedicare, quod acceperis, non est superbia, sed devotio. Ergo adtolle oculos ad patrem, qui te per lavacrum genuit, ad patrem, qui te per filium redemit, et dic: *Pater noster.* Bona praesumptio, sed moderata. Patrem dicis quasi filius; sed noli tibi specialiter aliquid vindicare. Solius Christi specialis est pater, nobis omnibus in commune est pater, quia illum solum genuit, nos creavit. Dic ergo et tu per gratiam: *Pater noster*, ut filius esse merearis. Ecclesiae contuitu et consideratione te ipse commenda.

20 *Pater noster, qui es in caelis.* Quid est *in caelis?* Audi scripturam dicentem: *Excelsus super omnes caelos dominus*[2]. Et ubique habes, quod super caelos caelorum dominus sit, quasi non in caelis et angeli, quasi non in caelis et dominationes; sed in illis caelis, de quibus dictum est: *Caeli enarrant gloriam dei*[3]. Caelum est ibi, ubi cessavit culpa; caelum est ibi, ubi flagitia feriantur; caelum est ibi, ubi nullum mortis est vulnus. 21 *Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum.* Quid est *sanctificetur?* Quasi optemus, ut sanctificetur ille, qui ait: *Estote sancti quia ego sanctus sum*[4], quasi aliquid ei ex nostra precatione sanctificationis accedat? Non, sed sanctificetur in nobis, ut ad nos eius possit sanctificatio pervenire. 22 *Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum, veniat regnum tuum.* Quasi non aeternum sit dei regnum. Ipse Iesus dicit: *Ego in hoc natus sum*[5], et tu dicis patri: *Veniat regnum tuum*, quasi non venerit. Sed tunc venit regnum dei, quando eius estis gratiam consecuti. Ipse enim ait: *Regnum dei intra vos est*[6]. 23 *Veniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in caelo, et in terra; panem nostrum cotidianum da nobis hodie.* Sanguine Christi pacificata sunt omnia vel in

[1] Eph. 2, 5. [2] Ps. 112, 4. [3] Ps. 18, 2. [4] Lev. 19, 2. [5] Ioh. 18, 37. [6] Luc. 17, 21.

caelo vel in terra; sanctificatum est caelum, deiectus est diabolus. Ubi versatur? Ubi et homo, quem ille decepit. *Fiat voluntas tua,* hoc est, sit pax in terra, quemadmodum in caelo.

24 *Panem nostrum cotidianum da nobis hodie.* Memini sermonis mei, cum de sacramentis tractarem. Dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur; ubi Christi verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, sed corpus adpellatur. Quare ergo in oratione dominica, quae postea sequitur, ait: *Panem nostrum?* Panem quidem dixit, sed ἐπιούσιον, hoc est, supersubstantialem. Non iste panis est, qui vadit in corpus, sed ille panis vitae aeternae, qui animae nostrae substantiam fulcit. Ideo graece ἐπιούσιος dicitur; Latinus autem hunc panem cotidianum dixit, quem Graeci dicunt advenientem; quia Graeci dicunt τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν advenientem diem[1]. Ergo quod Latinus dixit et quod Graecus, utrumque utile videtur; Graecus utrumque uno sermone significavit, Latinus cotidianum dixit. 25 Si cotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Graeci in oriente facere consuerunt?[2] Accipe cotidie, quod cotidie tibi prosit. Sic vive, ut cotidie merearis accipere. Qui non meretur cotidie accipere, non meretur post annum accipere. Quomodo Iob sanctus pro filiis suis offerebat cotidie sacrificium, ne forte aliquid vel in corde vel in sermone peccassent? Ergo tu audis, quod, quotiescumque offertur sacrificium, mors domini, resurrectio domini, elevatio domini significetur et remissio peccatorum; et panem istum vitae non cotidianum adsumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit; vulnus est, quia sub peccato sumus, medicina est caeleste et venerabile sacramentum. 26 *Panem nostrum cotidianum da nobis hodie.* Cotidie si accipis, cotidie tibi hodie est. Si tibi hodie est Christus, tibi cotidie resurgit. Quomodo? *Filius meus es tu, ego hodie genui te*[3]. Hodie ergo est, quando Christus resurgit. *Heri et hodie ipse est,* apostolus Paulus ait[4].

[1] Ambrosius (de fide III 15, 127) vocem ἐπιούσιος a voce οὐσία derivat. [2] Multos in oriente semel tantum in anno eucharistiam sumpsisse, etiam ex s. Chrysostomo cognoscimus (hom. 5 in 1 Timoth. nr. 3; Montf. XI 577). [3] Ps. 2, 7. [4] Hebr. 13, 8.

Sed et alibi ait: *Nox praecessit, dies autem adpropinquavit*[1]; nox hesterna praecessit, dies hodiernus adpropinquavit.

27 Sequitur: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Debitum quid est, nisi peccatum? Ergo si non acciperes alieni fenoris pecuniam, non egeres, et ideo peccatum tibi imputatur. Habuisti pecuniam, cum qua dives nascereris. Dives eras, ad imaginem et similitudinem dei factus; perdidisti, quod habebas, hoc est, humilitatem, dum adrogantiam desideras vindicare; perdidisti pecuniam, sicut Adam nudus es factus; accepisti a diabolo debitum, quod non erat necessarium. Et ideo, qui eras liber in Christo, debitor factus es diaboli. Cautionem tuam tenebat inimicus, sed eam dominus crucifixit et suo cruore delevit; abstulit debitum tuum, reddidit libertatem. 28 Bene ergo ait: *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Vide, quid dicas: Quomodo ego dimitto, sic et tu dimitte mihi. Si dimiseris, bene convenis, ut dimittatur tibi; si non dimittis, quomodo eum convenis, ut dimittatur tibi? 29 *Et ne patiaris induci nos in tentationem, sed libera nos a malo.* Vide, quid dicat: *Et ne patiaris induci nos in tentationem*[2], quam ferre non possumus. Non dicit: Non inducas in tentationem; sed quasi athleta talem vult tentationem, quam ferre possit humana conditio, et unusquisque a malo, hoc est, ab inimico, a peccato liberetur.

30 Potens est autem dominus, qui abstulit peccatum vestrum et delicta vestra donavit, tueri et custodire vos adversum diaboli adversantis insidias, ut non vobis obrepat inimicus, qui culpam generare consuevit. Sed qui deo se committit, diabolum non timet: *Si enim deus pro nobis, qui* (sic!) *contra nos?*[3] Ipsi ergo laus et gloria a saeculis et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen.

[1] Rom. 13, 12. [2] Etiam Cyprianus sextam petitionem orationis ita tradit: 'Et ne patiaris nos induci in tentationem' (de orat. 25). Augustinus autem dicit (de sermone in monte II 9, 30): 'Multi autem precando ita dicunt: *Ne nos patiaris induci in tentationem*, exponentes videlicet, quomodo dictam sit: *inducas*'. [3] Rom. 8, 31.

LIBER SEXTVS.

Cap. 1. Sacra eucharistia est verum corpus Christi.

1 Sicut verus est dei filius dominus noster Iesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi filius ex substantia patris, ita vera caro, sicut ipse dixit, quam accipimus, et verus eius est potus. 2 Sed forte dicas (quod dixerunt tunc temporis etiam discipuli Christi audientes dicentem: *Nisi quis manducaverit carnem meam et biberit sanguinem meum, non manebit in me nec habebit vitam aeternam*), forte dicas: Quomodo vera? Qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem.

3 Primo omnium dixi tibi de sermone Christi, qui operatur, ut possit mutare et convertere genera instituta naturae. Deinde ubi non tulerunt sermonem Christi discipuli eius, audientes, quod carnem suam daret manducare et sanguinem suum daret bibendum, recedebant, solus tamen Petrus dixit: *Verba vitae aeternae habes, et ego a te quomodo recedam?*[1] Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis, ideo in similitudinem quidem accipis sacramentum, sed vere naturae gratiam virtutemque consequeris[2]. 4 *Ego sum,* inquit, *panis vivus qui de caelo descendi.* Sed caro non descendit e caelo, hoc est, carnem in terris adsumpsit ex virgine. Quomodo ergo descendit panis e caelo, et panis vivus? Quia idem dominus noster Iesus Christus consors est et divinitatis et corporis, et tu, qui accipis carnem, divinae eius substantiae in illo participaris alimento.

Cap. 2. Tota trinitas divina in singulis sacramentis operatur.

5 Ergo accepisti de sacramentis, plenissime cognovisti omnia, quod baptizatus es in nomine trinitatis. In omnibus, quae egimus, servatum est mysterium trinitatis. Ubique pater et filius et spiritus sanctus, una operatio, una sanctificatio, etsi quaedam veluti specialia esse videantur.

[1] Ioh. 6, 69. [2] Hisce conversionem panis in corpus Christi fieri auctor non negat, quam in libro IV c. 4 nr. 14 et 17 apertissime docuit.

6 Quomodo? Deus, qui te unxit et signavit te dominus et posuit spiritum sanctum in corde tuo. Accepisti ergo spiritum sanctum in corde tuo. Accipe aliud, quia, quemadmodum spiritus sanctus in corde, ita etiam Christus in corde. Quomodo? Habes hoc in Canticis canticorum Christum dicentem ad ecclesiam: *Pone me sicut signaculum in corde tuo, sicut signaculum in brachiis tuis*[1]. 7 Ergo unxit te deus, signavit te Christus. Quomodo? Quia ad crucis ipsius signatus es formam, ad illius passionem; accepisti signaculum ad illius similitudinem, ut ad ipsius formam resurgas, ad ipsius vivas figuram, qui peccato crucifixus est et deo vivit; et tuus homo vetus in fonte demersus peccato crucifixus est, sed deo resurrexit. 8 Deinde habes alibi speciale, quod te vocaverit deus, in baptismate autem quasi specialiter concrucifigeris Christo. Deinde quasi specialiter, quando accipis spiritale signaculum, vide distinctionem personarum esse, sed connexum omne mysterium trinitatis. 9 Deinde quid apostolus tibi dixit, ut lectum est nudiustertius? *Divisiones autem gratiarum sunt, idem autem spiritus. Divisiones ministeriorum sunt, idem autem dominus. Divisiones operationum sunt, idem autem deus, qui operatur omnia in omnibus*[2]. Omnia, inquit, operatur deus. Sed et de spiritu dei lectum est: *Unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult*[3]. Audi scripturam dicentem, quia dividit spiritus pro voluntate sua, non pro obsequio. Ergo dividit vobis spiritus gratiam, prout vult, non prout iubetur; et maxime, quia spiritus dei, spiritus Christi est. Et illud tenete ipsum esse spiritum sanctum, ipsum spiritum dei, ipsum spiritum Christi, ipsum spiritum paraclitum.

10 Ariani putant se derogare sancto spiritui, si dicant illum spiritum paraclitum. Quid est paraclitus, nisi consolator? Quasi non et de patre lectum sit, quia ipse est deus consolationis[4]. Vides ergo, quia in eo derogandum putant spiritui sancto, in quo patris aeterni potestas pio praedicatur adfectu.

[1] Cant. 8, 6. [2] 1 Cor. 12, 4—6. [3] l. l. 21. [4] 2 Cor. 1, 3.

Cap. 3. Quomodo orandum sit.

11 Nunc quomodo orare debeamus, accipite. Multae virtutes orationis sunt. Ubi orare debeamus, non est mediocre nec mediocris quaestio. Ait apostolus: *Volo autem viros orare in omni loco, levantes puras manus sine ira et disceptatione*[1]. Et dominus dicit in evangelio: *Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora patrem tuum*[2]. Non tibi videtur esse contrarium, ut dicat apostolus: *In omni loco ora*, et dominus dicat: *Intra in cubiculum tuum et ora?* Sed non est contrarium. Hoc ergo absolvamus; deinde quomodo debeas incipere orationem et quo ordine distinguere, quid subtexere, quid adlegare, quemadmodum claudere orationem, deinde pro quo orare debeas: haec omnia dicamus.

12 Primo, ubi orare debeas. Aliud Paulus videtur dicere, aliud dominus. Numquid potuit Paulus contra Christi docere praecepta? non utique. Qua ratione? Quia non contrarius, sed interpres est Christi: *Imitatores*, inquit, *mei estote, sicut et ego Christi*[3]. Quid ergo? Potes ubique orare et in cubiculo tuo semper orare. Habes ubique cubiculum tuum. Etsi inter gentes, inter Iudaeos positus sis, habes tamen ubique tuum secretum. Cubiculum tuum mens tua est. In populo licet positus, tamen in interiore homine arcanum tuum secretumque conservas. 13 *Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum.* Bene ait: *intra*, ne sic ores quomodo Iudaeus, cui dicitur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*[4]. Non ergo de labiis tantummodo tua procedat oratio. Animo totus intende, intra in recessum pectoris tui, totus ingredere. Non te perfunctorium videat ille, cui te placere desideras. Videat, quia ex corde oras, ut te ex corde orantem dignetur audire.

14 *Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum.* Habes hoc et alibi: *Ambula populus meus et intra in recessus tuos, claude ostium tuum, abscondere pusillum, donec transeat ira domini*[5]. Hoc locutus est dominus per prophetam; in evan-

[1] 1 Tim. 1, 8. [2] Matth. 6, 6. [3] 1 Cor. 11, 1. [4] Is. 29, 13. [5] Is. 26, 20.

gelio autem dixit: *Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum et clauso ostio ora patrem tuum.* 15 Quid est *clauso ostio?* Audi, quod ostium habeas, quod debeas claudere, quando oras. Utinam mulieres audirent! Audisti iam, sanctus David docuit te dicens: *Pone, domine, custodiam ori meo et ostium circuitus labiis meis*[1]. Est alibi ostium, quod ait apostolus Paulus dicens: *Ut aperiatur,* inquit, *mihi ostium verbi ad loquendum mysterium Christi;*[2] hoc est: Quando oras, noli sermone clamare nec diffundere orationem tuam nec iactare per populos. In secreto tuo ora, securus, quod te in secreto possit audire, qui omnia videt atque audit universa. Et ora patrem tuum in abscondito, qui audit te in abscondito deprecantem.

Cap. 4. Secreto magis orandum est quam cum vociferatione.

16 Quid prosit autem, interrogemus, qua ratione secreto magis orare debeamus quam cum vociferatione. Audi, de consuetudine hominum sumamus exemplum. Si aliquem rogas, qui cito audit, non opus putas esse clamorem; sensim rogas voce moderata. Si surdum aliquem roges, nonne incipis vociferari, ut te ille possit audire? Qui ergo clamat, putat, quod aliter deus non possit nisi clamantem audire, et cum rogat eum, eius derogat potestati; qui autem in silentio orat, fidem defert et confitetur, quod deus scrutator cordis et renis sit[3], et orationem tuam ante ille audiat, quam tuo ore fundatur.

17 Ergo videamus: *Volo autem viros orare in omni loco.* Qua ratione viros dixit? Utique communis oratio est et mulieribus et viris. Quod non invenio, nisi forte sanctus apostolus ideo viros dixit, ne mulieres usurparent et male intellegerent *in omni loco* et inciperent ubique clamare, quas in ecclesia sustinere non possumus. 18 *Volo autem viros,* hoc est, qui possint servare praeceptum, *orare in omni loco, levantes puras manus.* Quid est *levantes puras manus?* Numquid debes in oratione tua crucem domini gentibus demonstrare[4]? Illud quidem signum virtutis est, non pudoris. Est tamen, quomodo possis orare nec

[1] Ps. 140, 3. [2] Col. 4, 3. [3] Ps. 7, 10. [4] Adtendit ad veterem christianorum usum, quo supplicantes brachia tollebant in crucis modum.

figuram demonstres, sed actus tuos leves. Si vis operari orationem tuam, leva puras manus per innocentiam. Leva eas non cotidie; semel levasti, non opus est, ut iterum leves. 19 *Volo autem in omni loco viros orare, levantes puras manus sine ira et disceptatione.* Nihil verius: *Ira,* inquit, *perdit etiam sapientes*[1]. Ideo omni tempore, quantum fieri potest, christianus vir iracundiam debet temperare et maxime, quando ad orationem accedit; ne perturbet animum tuum indignatio irae, ne quidam furor impediat orationem tuam, sed magis placido accede pectore. Quid enim irasceris? Servus peccavit? Tu accedis ad orationem, ut tua tibi delicta donentur, et alii indignaris! Hoc est *sine ira.*

Cap. 5. Expositio de modo orationis continuatur et absolvitur.

20 Nunc de disceptatione videamus. Plerumque negotiator venit ad orationem aut avarus; alter de pecunia cogitat, alter de lucro, alter de honore, alter de cupiditate; et putat, quod eum deus possit audire. Et ideo, quando oras, divina humanis praeferre te convenit. 21 *Similiter et mulieres,* inquit, *volo orare non iactantes se in ornamentis neque in margaritis,* ait apostolus Paulus[2]. Sed et apostolus Petrus: Mulieris, inquit, gratia plurimum valet, ut viri eius convertatur adfectus per uxoris suae bonam conversationem et incredulus se convertat ad gratiam Christi[3]. Hoc valet mulieris gravitas et pudicitia et eius bona conversatio, ut virum suum vocet ad fidem et devotionem, quod et prudentis viri sermo frequenter operatur. Ergo mulier, inquit[4], non in ornatu capillorum, non in tortis crinibus ornamentum suum habeat, sed in oratione ex corde puro; ubi est absconditus cordis homo, qui semper est apud deum locuples. Habes ergo, in quo sis dives. In Christo divitiae tuae pudicitiae sunt et castitatis infulae, fides, devotio et misericordia. Hi sunt thensauri iustitiae, sicut propheta memoravit.

22 Deinde, unde debeas incipere. Dic mihi, si velis hominem rogare et sic incipias: Da mihi, ecce illud, quod te peto;

[1] Prov. 15, 1? [2] 1 Tim. 2, 9. [3] 1 Petr. 3, 1. [4] l. l. 3—4.

nonne adrogans videtur oratio? Et ideo inchoari oratio debet a dei laude, ut roges omnipotentem deum, cui possibilia sunt omnia, qui habet voluntatem praestandi. Sequitur obsecratio, sicut apostolus docuit dicens: *Obsecro ergo primum fieri orationes, obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones*[1]. Prima ergo oratio laudem debet habere dei, secunda supplicationem, tertia postulationem, quarta gratiarum actionem. Non debes quasi famelicus ad cibum de cibo primum incipere, sed ante a laudibus dei. 23 Unde et oratores isti sapientes hanc habent disciplinam, ut iudicem fautorem sibi praestent: incipiunt a laudibus eius, ut benevolum sibi faciant cognitorem. Deinde paulatim incipit rogare iudicem, ut patienter dignetur audire. Audet tertio postulationem suam depromere, quid petat exprimere. Quarto quomodo coepit a laudibus dei, sic debet in laudem desinere.

24 Habes hoc in oratione dominica: *Pater nostri qui es in caelis*[2]. Laus dei est, quod pater praedicatur; in eo pietatis gloria. Laus dei, quia in caelis habitat, non in terris. *Pater noster qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum,* id est, ut sanctificet servos suos; nomen enim illius sanctificatur in nobis, quando praedicantur homines christiani. Ergo optantis est: *Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum.* Postulatio, ut in nobis sit regnum Christi. Si deus in nobis regnat, locum habere adversarius non potest. Culpa non regnat, peccatum non regnat, sed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat devotio. Deinde: *Fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra. Panem nostrum cotidianum da nobis hodie.* Haec postulatio maxima est eorum, quae postulantur. *Et dimitte,* inquit, *nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Ideo cotidie accipe, ut cotidie debito tuo indulgentiam petas. *Et ne patiaris nos induci in tentationem, sed libera nos a malo.* Quid sequitur? Audi, quid dicat sacerdos: per dominum nostrum Jesum Christum, in quo tibi est, cum quo tibi est honor, laus, gloria, magnificentia, potestas cum spiritu sancto a saeculis et nunc et semper et in omnia saecula saeculorum. Amen.

[1] Tim. 2, 1. [2] Matth. 6, 9.

25 Aliud: Psalmorum David licet unus libellus sit, habens eas virtutes orationis, quas supra diximus, tamen plerumque et in uno psalmo omnes istae orationis partes inveniuntur, quomodo in octavo psalmo invenimus. Denique sic coepit: *Domine, dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!* Oratio ergo prima. Deinde obsecratio: *Quoniam videbo caelos tuos, opera digitorum tuorum,* hoc est, *caelos videbo, lunam et stellas, quas tu fundasti.* Utique non caelum, dicit, videbo, sed videbo caelos, in quibus incipit albescere gratia et splendor caelestis. Hos sibi caelos tunc promittebat propheta dari, qui caelestem gratiam a domino mererentur. *Lunam et stellas, quas tu fundasti;* lunam ecclesiam, stellas vocat sanctos caelesti gratia refulgentes. Deinde vide postulationem eius: *Quid est homo, quod meministi eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minorasti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum et constituisti eum super opera manuum tuarum.* Et alia gratiarum actio: *Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves et boves universas, insuper et pecora campi,* etc.

26 Docuimus pro captu nostro forsitan, quod non didicimus, et, ut potuimus, expressimus. Sanctitas vestra institutis sacerdotalibus informata laboret tenere, quod accepit a deo; et oblatio, sicut hostia pura, in vobis semper suum signaculum recognoscat, ut et ipsi ad gratiam et ad praemia virtutum pervenire possitis per dominum nostrum Jesum Christum; cui est gloria, honor, laus, perpetuitas a saeculis et nunc et semper et in omnia saecula saeculorum. Amen.

XI. LITVRGIA QVAE DICITVR CLEMENTINA.

(Const. apost. VIII 11, 7—15, 11).

Constitutionum apostolorum libri octo circa annum 400 orti esse videntur. Auctor in Syria scripsit et aut Seminarianus aut Apollinarista fuit[1]. Libros I—VI ex Didascalia, VII e Didache amplifi-

[1] Funk sibi persuasit, eum a parte Nicaenorum stetisse, sed Apollinaristam fuisse eamque ob rem non prius quam circa annum

cando composuit eisque librum VIII et 85 Canones apostolicos adiunxit, ita quidem, ut totum opus a sancto Clemente Romano iussu apostolorum conscriptum esse fingeret. De origine, fontibus, auctore, historia Constitutionum optime disputavit Funk in libro: Die Apostolischen Constitutionen, Rottenb. 1891; idem nuper easdem Constitutiones una cum Didascalia (supra p. 21) egregie edidit (Didascalia et Constitutiones apostolorum, Paderb. 1906).

Liturgia, quae in octavo libro Constitutionum tradita est eamque ob causam Clementina dicitur, integerrima et perfectissima est omnium, quae ex quattuor primis saeculis ad nos pervenerunt. Iam Probst[2] eam eandem fere esse iudicavit atque eam, quae iam aevo apostolico in usu erat; hanc ad sententiam confirmandam Drews[3] solidissima argumenta congessit. Ostendit enim Drews liturgiam Ps.-Clementinam ei liturgiae simillimam esse, quam Clemens Romanus in epistula ad Corinthios, Iustinus et Novatianus in scriptis suis testantur; in fine summam argumentationis ita complectitur (p. 160): „Wie dem aber auch sei, jedenfalls rückt nach unsern Untersuchungen der Grundtypus der clementinischen Liturgie in ein hohes Alter hinauf. Das widerspricht völlig dem, was man bisher überhaupt über die Entstehung der altchristlichen Liturgien angenommen hat. Aber man wird sich aus innern und äussern Gründen entschliessen müssen, diese Anschauung fallen zu lassen."

Textus graecus Constitutionum, qui in hac mea editione legitur, est Funkii. In Const. VIII 6—9 orationes exponuntur, quae diaconus in dimissione catechumenorum (c. 6), energumenorum (c. 7), inluminandorum (c. 8), paenitentium (c. 9) recitabat; iis subicitur oratio fidelium (c. 10), quam perorabat episcopus (c. 11. 1—6). Deinde pergit auctor ita:

XI. 7 *Καὶ μετὰ τοῦτο λεγέτω ὁ διάκονος· Πρόσχωμεν.* 8 *Καὶ ἀσπαζέσθω ὁ ἐπίσκοπος τὴν ἐκκλησίαν καὶ λεγέτω· Ἡ εἰρήνη τοῦ θεοῦ μετὰ πάντων ὑμῶν, καὶ ὁ λαὸς ἀποκρινάσθω· Καὶ*	XI. 7 Postea diaconus dicat: Adtendamus. 8 Et salutet episcopus ecclesiam ac dicat: Pax dei cum omnibus vobis. Et populus respondeat: Et cum spiritu tuo. 9 Diaconus vero dicat

400 scripsisse. Alii, qui in opere illo Semiarianismum prodi arbitrantur, ei originem paulo priorem adtribuunt. Omnes autem Constitutiones saeculo IV. medio posteriores esse earumque auctorem eundem atque Pseudo-Ignatium esse consentiunt. [2] Liturgie der drei ersten christlichen Jahrhunderte, Tubingae 1870, 281 squ. [3] Untersuchungen über die sog. clementinische Liturgie im 8. Buche der apostolischen Konstitutionen. I. Die clementinische Liturgie in Rom, Tub. 1906.

μετὰ τοῦ πνεύματός σου. 9 Καὶ ὁ διάκονος εἰπάτω πᾶσιν· „Ἀσπάσασθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἁγίῳ“, καὶ ἀσπαζέσθωσαν οἱ τοῦ κλήρου τὸν ἐπίσκοπον, οἱ λαϊκοὶ ἄνδρες τοὺς λαϊκούς, αἱ γυναῖκες τὰς γυναῖκας.

10 Τὰ παιδία δὲ στηκέτωσαν πρὸς τῷ βήματι, καὶ διάκονος αὐτοῖς ἕτερος ἔστω ἐφεστώς, ὅπως μή τι ἀτακτῶσιν· καὶ ἄλλοι διάκονοι περιπατείτωσαν καὶ σκοπείτωσαν τοὺς ἄνδρας καὶ τὰς γυναῖκας, ὅπως μὴ θόρυβός τις γένηται καὶ μή τις νεύσῃ ἢ ψιθυρίσῃ ἢ νυστάξῃ. 11 Οἱ δὲ διάκονοι ἱστάσθωσαν εἰς τὰς τῶν ἀνδρῶν θύρας καὶ οἱ ὑποδιάκονοι εἰς τὰς τῶν γυναικῶν, ὅπως μή τις ἐξέλθοι μήτε ἀνοιχθείη ἡ θύρα, κἂν πιστός τις ᾖ, κατὰ τὸν καιρὸν τῆς ἀναφορᾶς. 12 Εἷς δὲ ὑποδιάκονος διδότω ἀπόρρυψιν χειρῶν τοῖς ἱερεῦσιν[1], σύμβολον καθαρότητος ψυχῶν θεῷ ἀνακειμένων.

XII. Φημὶ δὲ κἀγὼ Ἰάκωβος, ὁ ἀδελφὸς Ἰωάννου τοῦ Ζεβεδαίου, ἵνα εὐθὺς ὁ διάκονος λέγῃ· 2 Μή τις τῶν κατηχουμένων, μή τις τῶν ἀκροωμένων, μή τις τῶν ἀπίστων, μή τις τῶν ἑτεροδόξων. Οἱ τὴν πρώτην εὐχὴν εὐχόμενοι[2] προσέλθετε· τὰ παιδία προσλαμβάνεσθε

omnibus: *Salutate vos invicem in osculo sancto*, et clerici osculentur episcopum, laici viri laicos, feminae feminas.

10 Pueri autem stent ad suggestum ac diaconus alius iis praesit, ne inordinate se gerant. Et alii diaconi deambulent inspiciantque viros ac mulieres, ne quis strepitus oriatur neve quis nutet vel susurret vel dormitet. 11 Diaconi vero stent ad ianuas virorum et subdiaconi ad ianuas mulierum, ne quis egrediatur neve aperiatur ianua tempore oblationis, licet adveniat fidelis aliquis. 12 Unus autem subdiaconus det sacerdotibus aquam ad lavandas manus, id quod signum est puritatis animarum deo consecratarum.

XII. Porro ego Iacobus, frater Iohannis Zebedai, edico, ut statim diaconus dicat: 2 Ne quis ex catechumenis, ne quis ex audientibus, ne quis ex infidelibus, ne quis ex heterodoxis. Qui priorem precationem fecistis, accedite; matres adsumite pue-

[1] Cyrill. cat. myst. 5, 2.

[2] i. e. fideles; prior enim precatio est oratio fidelium (c. 10—11).

αἱ μητέρες· μή τις κατά τινος, μή τις ἐν ὑποκρίσει· ὀρθοὶ πρὸς κύριον μετὰ φόβου καὶ τρόμου ἑστῶτες ὦμεν προσφέρειν. 3 Ὧν γενομένων οἱ διάκονοι προσαγέτωσαν τὰ δῶρα τῷ ἐπισκόπῳ πρὸς τὸ θυσιαστήριον, καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἐξ δεξιῶν αὐτοῦ καὶ ἐξ εὐωνύμων στηκέτωσαν, ὡς ἂν μαθηταὶ παρεστῶτες διδασκάλῳ· δύο δὲ διάκονοι ἐξ ἑκατέρων τῶν μερῶν τοῦ θυσιαστηρίου κατεχέτωσαν ἐξ ὑμένων λεπτῶν ῥιπίδιον ἢ πτερὸν ταῶνος ἢ ὀθόνης, καὶ ἠρέμα ἀποσοβείτωσαν τὰ μικρὰ τῶν ἱπταμένων ζώων, ὅπως ἂν μὴ ἐγχρίμπτωνται εἰς τὰ κύπελλα[1].

4 Εὐξάμενος οὖν καθ' ἑαυτὸν ὁ ἀρχιερεὺς ἅμα τοῖς ἱερεῦσιν καὶ λαμπρὰν ἐσθῆτα μετενδὺς καὶ στὰς πρὸς τῷ θυσιαστηρίῳ, τὸ τρόπαιον τοῦ σταυροῦ κατὰ τοῦ μετώπου τῇ χειρὶ ποιησάμενος εἰπάτω· „Ἡ χάρις τοῦ παντοκράτορος θεοῦ καὶ ἡ ἀγάπη τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἡ κοινωνία τοῦ ἁγίου πνεύματος ἔστω μετὰ πάντων ὑμῶν“[2], καὶ πάντες συμφώνως λεγέτωσαν, ὅτι Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου. 5 Καὶ ὁ ἀρχιερεύς· Ἄνω τὸν νοῦν, καὶ πάντες· Ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον. Καὶ ὁ

ros; ne quis contra alium, ne quis in hypocrisi; erecti ad dominum cum timore ac tremore stemus ad offerendum. 3 Quibus peractis diaconi dona episcopo ad altare admoveant, et presbyteri a dextris eius et a sinistris stent, ut discipuli magistro adsistentes; duo vero diaconi ex utraque parte altaris teneant flabellum ex tenuibus membranis factum aut pennam pavonis vel ex linteo et sensim abigant parva animalia volitantia, ne incidant in calices.

4 Orans igitur apud se pontifex una cum sacerdotibus splendidaque veste indutus et stans ad altare tropaeum crucis in fronte manu faciat et dicat: *Gratia omnipotentis dei et caritas domini nostri Iesu Christi et communicatio sancti spiritus sit cum omnibus vobis;* atque omnes una voce respondeant: Et cum spiritu tuo. Et pontifex: Sursum mentem, et omnes: Habemus ad dominum. Et pontifex: Gratias agamus domino, et omnes: Dignum et iustum est.

[1] Haec consuetudo ne Latinis quidem omnino ignota erat; cfr. Consuetudines monast. Cluniacensis II 30 (Specilegium ed. d'Achéry IV 142). [2] 2 Cor. 13, 13.

ἀρχιερεύς· Εὐχαριστήσωμεν τῷ κυρίῳ, καὶ πάντες· Ἄξιον καὶ δίκαιον[1]. Καὶ ὁ ἀρχιερεὺς εἰπάτω· 6 Ἄξιον ὡς ἀληθῶς καὶ δίκαιον πρὸ πάντων ὑμνεῖν σε τὸν ὄντως ὄντα θεόν, τὸν πρὸ γενητῶν ὄντα, „ἐξ οὗ πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται“[2], τὸν μόνον ἀγέννητον καὶ ἄναρχον καὶ ἀβασίλευτον καὶ ἀδέσποτον, τὸν ἀνενδεῆ, τὸν παντὸς ἀγαθοῦ χορηγόν, τὸν πάσης αἰτίας καὶ γενέσεως κρείττονα, τὸν πάντοτε κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχοντα· „ἐξ οὗ τὰ πάντα“[3], καθάπερ ἔκ τινος ἀφετηρίας, εἰς τὸ εἶναι παρῆλθεν.

Et pontifex dicat: 6 Vere dignum et iustum est, ante omnia laudare te verum deum, ante creaturas exsistentem, *ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur*, solum ingenitum, principii expertem, rege ac domino carentem, nulla re indigentem, omnis boni largitorem, omni causa et origine superiorem, semper uno eodemque modo te habentem, *ex quo omnia* tamquam e carceribus quibusdam ad exsistendum processerunt.

7 Σὺ γὰρ εἶ ἡ ἄναρχος γνῶσις, ἡ ἀΐδιος ὅρασις, ἡ ἀγέννητος ἀκοή, ἡ ἀδίδακτος σοφία, ὁ πρῶτος τῇ φύσει καὶ μόνος τῷ εἶναι καὶ κρείττων παντὸς ἀριθμοῦ· ὁ τὰ πάντα ἐκ τοῦ μὴ ὄντος εἰς τὸ εἶναι παραγαγὼν διὰ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ· αὐτὸν δὲ πρὸ πάντων αἰώνων γεννήσας βουλήσει καὶ δυνάμει[4] καὶ ἀγαθότητι ἀμεσιτεύτως, υἱὸν μονογενῆ, λόγον, θεόν, σοφίαν ζῶσαν, „πρωτότοκον πάσης κτίσεως[5], ἄγγελον τῆς μεγάλης βουλῆς“[6] σου, ἀρχιερέα σόν, βασιλέα δὲ καὶ κύριον πάσης νοη-

7 Tu enim es originis expers cognitio, perpetuus visus, ingenitus auditus, sapientia non edocta, primus natura et solus exsistendo et absolutior omni numero; qui omnia ex nihilo in rerum naturam protulisti per unigenitum filium tuum; ipsum autem ante omnia saecula genuisti voluntate et potentia et bonitate absque intermedio, filium unigenitum, verbum deum, sapientiam vivam, *primogenitum omnis creaturae, angelum magni consilii* tui, pontificem tuum,

[1] Cyrill. cat. myst. 5, 4—5. [2] Eph. 3, 15. [3] 1 Cor. 8, 6. [4] Iust. dial. 128: *τὴν δύναμιν ταύτην γεγεννῆσθαι ἀπὸ τοῦ πατρός, δυνάμει καὶ βουλῇ αὐτοῦ.* [5] Col. 1, 15. [6] Is. 9, 6.

τῆς καὶ αἰσθητῆς φύσεως, „τὸν πρὸ πάντων[1], δι' οὗ τὰ πάντα“[2]. 8 Σὺ γὰρ, θεὲ αἰώνιε, δι' αὐτοῦ τὰ πάντα πεποίηκας καὶ δι' αὐτοῦ τῆς προσηκούσης προνοίας τὰ ὅλα ἀξιοῖς· δι' οὗ γὰρ τὸ εἶναι ἐχαρίσω, δι' αὐτοῦ καὶ τὸ εὖ εἶναι ἐδωρήσω· ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ σου, ὁ δι' αὐτοῦ πρὸ πάντων[3] ποιήσας τὰ χερουβὶμ καὶ τὰ Σεραφίμ, αἰῶνάς τε καὶ στρατιάς, δυνάμεις τε καὶ „ἐξουσίας, ἀρχάς τε καὶ θρόνους“[4], ἀρχαγγέλους τε καὶ ἀγγέλους καὶ μετὰ ταῦτα πάντα ποιήσας δι' αὐτοῦ τὸν φαινόμενον τοῦτον κόσμον καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ.

9 Σὺ γὰρ εἶ „ὁ τὸν οὐρανὸν ὡς καμάραν στήσας“[5] καὶ „ὡς δέρριν ἐκτείνας“[6] καὶ „τὴν γῆν ἐπ' οὐδενὸς ἱδρύσας“[7] γνώμῃ μόνῃ, ὁ πήξας στερέωμα καὶ νύκτα καὶ ἡμέραν κατασκευάσας, ὁ ἐξαγαγὼν φῶς ἐκ θεσαυρῶν καὶ τῇ τούτου συστολῇ ἐπαγαγὼν τὸ σκότος εἰς ἀνάπαυλαν τῶν ἐν τῷ κόσμῳ κινουμένων ζώων, ὁ τὸν ἥλιον τάξας „εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας“ ἐν οὐρανῷ καὶ τὴν σελήνην „εἰς ἀρχὰς τῆς νυκτὸς“[8] καὶ τὸν χορὸν τῶν ἀστέρων ἐν οὐρανῷ

regem et dominum omnis naturae, quae intellegi ac sentiri potest, *qui ante omnia, per quem omnia.* 8 Tu enim, deus aeterne, per eum cuncta condidisti et per eum cuncta dignaris convenienti providentia; per quem enim, ut essent, donasti, per eundem etiam, ut bona essent, dedisti; deus et pater unigeniti filii tui, qui per eum ante omnia fecisti Cherubim et Seraphim, saecula exercitusque, virtutes et *potestates, principatus et thronos,* archangelos angelosque, et post haec omnia per eum fabricasti mundum hunc visibilem omniaque, quae in eo sunt.

9 Tu enim es, qui *caelum ut cameram statuisti et ut pellem extendisti ac terram super nihilum conlocasti* sola voluntate; qui fixisti firmamentum et noctem diemque fabricatus es, qui lucem ex thensauris eduxisti et imminutione eius tenebras adduxisti ad requiem animalium, quae in mundo versantur; qui solem in caelo posuisti *ad dominium diei* et lunam *ad dominium noctis* et chorum stellarum in caelo descripsisti ad

[1] Col. 1, 17. [2] 1 Cor. 8, 6. [3] Sic plurimi veterum; alii, ut Epiphanius (haer. 65, 4—5) angelos una cum terra creatos esse censent. [4] Col. 1, 16. [5] Is. 40, 22. [6] Ps. 103, 2. [7] Iob 26, 7. [8] Gen. 1, 16.

καταγράψας εἰς αἶνον τῆς σῆς μεγαλοπρεπείας· 10 ὁ ποιήσας ὕδωρ πρὸς πόσιν καὶ κάθαρσιν, ἀέρα ζωτικὸν πρὸς εἰσπνοὴν καὶ ἀναπνοὴν καὶ φωνῆς ἀπόδοσιν διὰ γλώττης πληττούσης τὸν ἀέρα καὶ ἀκοὴν συνεργουμένην ὑπ' αὐτοῦ ὡς ἐπαΐειν εἰσδεχομένην τὴν προσπίπτουσαν αὐτῇ λαλιάν· 11 ὁ ποιήσας πῦρ πρὸς σκότους παραμυθίαν, πρὸς ἐνδείας ἀναπλήρωσιν καὶ τὸ θερμαίνεσθαι ἡμᾶς καὶ φωτίζεσθαι ὑπ' αὐτοῦ· 12 ὁ τὴν μεγάλην θάλασσαν χωρίσας τῆς γῆς καὶ τὴν μὲν ἀναδείξας πλωτήν, τὴν δὲ ποσὶ βάσιμον ποιήσας, καὶ τὴν μὲν ζώοις μικροῖς καὶ μεγάλοις πληθύνας, τὴν δὲ ἡμέροις καὶ ἀτιθάσσοις πληρώσας, φυτοῖς τε διαφόροις στέψας καὶ βοτάναις στεφανώσας καὶ ἄνθεσι καλλύνας καὶ σπέρμασι πλουτίσας· 13 ὁ συστησάμενος ἄβυσσον καὶ μέγα κύτος αὐτῇ περιθείς, ἁλμυρῶν ὑδάτων σεσωρευμένα πελάγη, „περιφράξας δὲ αὐτὴν πύλαις“ [1] ἄμμου λεπτοτάτης· ὁ πνεύμασί ποτε μὲν αὐτὴν κορυφῶν εἰς ὀρέων μέγεθος, ποτὲ δὲ στρωννύων αὐτὴν εἰς πεδίον, καί ποτε μὲν ἐκμαίνων χειμῶνι, ποτὲ δὲ πραΰνων γαλήνῃ ὡς ναυσιπόροις πλωτῆρσιν εὔκολον εἶναι πρὸς πορείαν· 14 ὁ ποταμοῖς διαζώσας τὸν ὑπὸ σοῦ διὰ

laudem magnificentiae tuae; 10 qui fecisti aquam ad potum et purgationem, vitalem aerem ad adspirationem et respirationem et editionem vocis, dum lingua aerem ferit, et ad auditum, quem adiuvat in sentienda loquela incumbente et penetrante; 11 qui fecisti ignem ad solatium tenebrarum, ad indigentiae expletionem, et ut calefieremus et inluminaremur eo; 12 qui magnum mare separasti a terra, et illud quidem reddidisti navigabile, hanc autem pedibus perviam effecisti et illud quidem animalibus parvis magnisque refersisti, hanc autem cicuribus indomitisque replevisti, variis stirpibus redemisti, herbis coronasti, floribus decorasti, seminibus ditasti; 13 qui constituisti abyssum et ut ingentem molem ei circumposuisti acervata salsarum aquarum aequora, *eamque circumsepsisti portis* arenae tenuissimae; qui eam modo ventis in altitudinem montium adtollis, modo eam in planum sternis, modo in furorem tempestatis agis, modo, ut navigio cursum facientibus sit ad navigandum facilis, in lenitatem serenitatis ducis; 14 qui mundum creatum

[1] Iob 38, 8.

Χριστοῦ γενόμενον κόσμον καὶ χειμάρροις ἐπικλύσας, καὶ πηγαῖς ἀενάοις μεθύσας, ὄρεσιν δὲ περισφίγξας εἰς ἕδραν ἀτρεμῆ γῆς ἀσφαλεστάτην.

15 *Ἐπλήρωσας γάρ σου τὸν κόσμον καὶ διεκόσμησας αὐτὸν βοτάναις εὐόσμοις καὶ ἰασίμοις, ζώοις πολλοῖς καὶ διαφόροις, ἀλκίμοις καὶ ἀσθενεστέροις, ἐδωδίμοις καὶ ἐνεργοῖς, ἡμέροις καὶ ἀτιθάσσοις, ἑρπετῶν συριγμοῖς, πτηνῶν ποικίλων κλαγγαῖς, ἐνιαυτῶν κύκλοις, μηνῶν καὶ ἡμερῶν ἀριθμοῖς, τροπῶν τάξεσιν, νεφῶν ὀμβροτόκων διαδρομαῖς εἰς καρπῶν γονὰς καὶ ζώων σύστασιν, σταθμὸν ἀνέμων διαπνεόντων ὅτε προσταχθῶσιν παρὰ σοῦ, τῶν φυτῶν καὶ τῶν βοτανῶν τὸ πλῆθος.* 16 *Καὶ οὐ μόνον τὸν κόσμον ἐδημιούργησας, ἀλλὰ καὶ τὸν κοσμοπολίτην ἄνθρωπον ἐν αὐτῷ ἐποίησας, κόσμου κόσμον αὐτὸν ἀναδείξας· εἶπας γὰρ τῇ σῇ σοφίᾳ· „Ποιήσωμεν ἄνθρωπον κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ καθ' ὁμοίωσιν, καὶ ἀρχέτωσαν τῶν ἰχθύων τῆς θαλάσσης καὶ τῶν πετεινῶν τοῦ οὐρανοῦ“*[1]. 17 *Διὸ καὶ πεποίηκας αὐτὸν ἐκ ψυχῆς ἀθανάτου καὶ σώματος σκεδαστοῦ, τῆς μὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, τοῦ δὲ ἐκ τῶν τεσσάρων στοιχείων· καὶ δέδωκας αὐτῷ κατὰ*

a te per Christum fluviis cinxisti, torrentibus proluisti, perennibus fontibus perfudisti et, ut inconcussa ac firmissima sedes terrae esset, montibus constrinxisti.

15 Implevisti enim mundum tuum atque exornasti herbis odoratis salubribusque, multis variisque animantibus, robustis et infirmioribus, esculentis atque operariis, cicuribus ferisque, serpentium sibilis, diversarum voluerum clangoribus, annorum circulis, mensum ac dierum numeris, tempestatum serie, nubium imbres procreantium cursibus ad fructuum fetus et animalium conservationem, libramentum ventorum flantium, cum a te iubeatur, multitudinem stirpium et herbarum. 16 Neque solum mundum fabricatus es, sed etiam in eo mundi civem hominem fecisti et mundi mundum eum constituisti; dixisti enim sapientiae tuae: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et dominentur piscibus maris et volatilibus caeli.* 17 Ideo et fecisti eum ex anima immortali et corpore dissipabili, illa quidem ex nihilo effecta, hoc vero ex quattuor elementis; et dedisti ei in anima rationalem

[1] Gen. 1, 26.

μὲν τὴν ψυχὴν τὴν λογικὴν διάγνωσιν, εὐσεβείας καὶ ἀσεβείας διάκρισιν, δικαίου καὶ ἀδίκου παρατήρησιν, κατὰ δὲ τὸ σῶμα τὴν πένταθλον ἐχαρίσω αἴσθησιν καὶ τὴν μεταβατικὴν κίνησιν.

18 *Σὺ γὰρ, θεὲ παντοκράτορ, διὰ Χριστοῦ „παράδεισον ἐν Ἐδὲμ κατὰ ἀνατολὰς ἐφύτευσας“* [1] *παντοίων φυτῶν ἐδωδίμων κόσμῳ, καὶ ἐν αὐτῷ, ὡς ἂν ἐν ἑστίᾳ πολυτελεῖ, εἰσήγαγες αὐτόν, κἂν τῷ ποιεῖν νόμον δέδωκας αὐτῷ ἔμφυτον, ὅπως οἰκοθεν καὶ παρ' ἑαυτοῦ ἔχοι τὰ σπέρματα τῆς θεογνωσίας.* 19 *Εἰσαγαγὼν δὲ εἰς „τὸν τῆς τρυφῆς παράδεισον“* [2]*, πάντων μὲν ἀνῆκας αὐτῷ τὴν ἐξουσίαν πρὸς μετάληψιν, ἑνὸς δὲ μόνου τὴν γεῦσιν ἀπεῖπας ἐπ' ἐλπίδι κρειττόνων, ἵνα, ἐὰν φυλάξῃ τὴν ἐντολήν, μισθὸν ταύτης τὴν ἀθανασίαν κομίσηται.* 20 *Ἀμελήσαντα δὲ τῆς ἐντολῆς καὶ γευσάμενον ἀπηγορευμένου καρποῦ ἀπάτῃ ὄφεως καὶ συμβουλίᾳ γυναικὸς τοῦ μὲν παραδείσου δικαίως ἐξῶσας αὐτόν, ἀγαθότητι δὲ εἰς τὸ παντελὲς ἀπολλύμενον οὐχ ὑπερεῖδες, σὸν γὰρ ἦν δημιούργημα, ἀλλὰ καθυποτάξας αὐτῷ τὴν κτίσιν δέδωκας αὐτῷ οἰκείοις ἰδρῶσιν καὶ πόνοις πορίζειν ἑαυτῷ τὴν τροφήν,*

diiudicationem pietatis impietatisque discretionem, iusti atque iniusti animadversionem, in corpore autem quinquertionem sensuum motumque progressivum donavisti.

18 Tu enim, deus omnipotens, per Christum *in Edem ad orientem plantavisti paradisum*, omni genere esculentarum plantarum ornatum, et in eum tamquam in opiparam domum induxisti hominem, quem, cum creares, lege naturali et insita donasti, quo intus et ex se haberet cognitionis dei semina. 19 Introducens autem eum *in paradisum deliciarum*, potestatem quidem omnium ei ad participandum concessisti, unius vero solius gustatu in spem meliorum rerum interdixisti, ut, si mandatum custodiret, illius servati mercedem ferret immortalitatem. 20 Cum autem mandatum neglegeret et fraude serpentis mulierisque consilio gustaret prohibitum fructum, ex paradiso illum iuste expulisti, bonitate vero tua prorsus pereuntem non despexisti — erat enim opus tuum —; sed qui ei subieceras creaturam, dedisti,

[1] Gen. 2, 8. [2] l. l. 15.

σοῦ πάντα φύοντος καὶ αὔξοντος καὶ πεπαίνοντος· χρόνῳ δὲ πρὸς ὀλίγον κοιμίσας ὅρκῳ εἰς παλιγγενεσίαν ἐκάλεσας, ὅρον θανάτου λύσας ζωὴν ἐξ ἀναστάσεως ἐπηγγείλω. 21 Καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἐξ αὐτοῦ εἰς πλῆθος ἀνάριθμον χέας, τοὺς ἐμμείναντάς σοι ἐδόξασας, τοὺς δὲ ἀποστάντας σου ἐκόλασας, καὶ τοῦ μὲν Ἄβελ ὡς ὁσίου προσδεξάμενος τὴν θυσίαν, τοῦ δὲ ἀδελφοκτόνου Καὶν ἀποστραφεὶς τὸ δῶρον ὡς ἐναγοῦς· καὶ πρὸς τούτοις τὸν Σὴθ καὶ τὸν Ἐνὼς προσελάβου καὶ τὸν Ἐνὼχ μετατέθεικας.

22 Σὺ γὰρ εἶ ὁ δημιουργὸς τῶν ἀνθρώπων καὶ τῆς ζωῆς χορηγὸς καὶ τῆς ἐνδείας πληρωτὴς καὶ τῶν νόμων δοτὴρ καὶ τῶν φυλαττόντων αὐτοὺς μισθαποδότης καὶ τῶν παραβαινόντων αὐτοὺς ἔκδικος, ὁ τὸν μέγαν κατακλυσμὸν ἐπαγαγὼν τῷ κόσμῳ διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἀσεβησάντων καὶ τὸν δίκαιον Νῶε ῥυσάμενος ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ ἐν λάρνακι σὺν ὀκτὼ ψυχαῖς, τέλος μὲν τῶν παρῳχηκότων, ἀρχὴν δὲ τῶν μελλόντων ἐπιγίνεσθαι· ὁ τὸν φοβερὸν πῦρ κατὰ τῆς σοδομηνῆς πενταπόλεως ἐξάψας καὶ „γῆν καρποφόρον εἰς ἅλμην θέμενος ἀπὸ κα-

ut suis sudoribus ac laboribus sibi pararet victum, te omnia producente augente maturante; atque eum brevi somno adfectum per iusiurandum ad regenerationem vocasti, decreto mortis soluto vitam ex resurrectione promisisti. 21 Neque id solum, verum etiam ex posteris eius a te in multitudinem innumerabilem effusis eos, qui tibi adhaeserunt, glorificasti, eos autem, qui a te defecerunt, punivisti, sacrificio Abel ut innocentis admisso, munere autem fratricidae Cain ut detestandi spreto; et praeterea Seth et Enos suscepisti et Enoch transtulisti.

22 Tu enim es opifex hominum, vitae largitor, inopiae expletor, legum lator easque observantium remunerator, transgredientium vindex; qui magnum diluvium mundo intulisti propter impiorum multitudinem et iustum Noe ex diluvio servasti in arca cum octo animabus, finem quidem eorum, qui praeterierant, originem vero futurorum; qui horrendum ignem adversus Sodomiticam pentapolim incendisti et *terram frugiferam in salsuginem propter nequitiam illius incolarum redegisti* et sanctum Lot ex incendio eri-

κίας τῶν κατοικούντων ἐν αὐτῇ“ [1], καὶ τὸν ὅσιον Λὼτ ἐξαρπάσας τοῦ ἐμπρησμοῦ. 23 Σὺ εἶ ὁ τὸν Ἀβραὰμ ῥυσάμενος προγονικῆς ἀσεβείας καὶ κληρονόμον τοῦ κοσμοῦ καταστήσας καὶ ἐμφανίσας αὐτῷ τὸν Χριστόν σου, ὁ τὸν Μελχισεδὲκ ἀρχιερέα σῆς λατρείας προχειρισάμενος, τὸν πολύτλαν θεράποντά σου Ἰὼβ νικητὴν τοῦ ἀρχεκάκου ὄφεως ἀναδείξας, τὸν Ἰσαὰκ ἐπαγγελίας υἱὸν ποιησάμενος, τὸν Ἰακὼβ πατέρα δώδεκα παίδων καὶ τοὺς ἐξ αὐτοῦ εἰς πλῆθος χέας καὶ εἰσαγαγὼν εἰς Αἴγυπτον ἐν ἑβδομήκοντα πέντε ψυχαῖς. 24 Σύ, κύριε, τὸν Ἰωσὴφ οὐχ ὑπερεῖδες, ἀλλὰ μισθὸν τῆς διὰ σὲ σωφροσύνης ἔδωκας αὐτῷ τὸ τῶν Αἰγυπτίων ἄρχειν· σύ, κύριε, Ἑβραίους ὑπὸ Αἰγυπτίων καταπονουμένους οὐ περιεῖδες διὰ τὰς πρὸς τοὺς πατέρας αὐτῶν ἐπαγγελίας, ἀλλ' ἐρρύσω κολάσας Αἰγυπτίους. 25 Παραφθειράντων δὲ τῶν ἀνθρώπων τὸν φυσικὸν νόμον καὶ τὴν κτίσιν ποτὲ μὲν αὐτόματον νομισάντων, ποτὲ δὲ πλεῖον ἢ δεῖ τιμησάντων καὶ σοί, τῷ θεῷ τῶν πάντων, συνταττόντων, οὐκ εἴασας πλανᾶσθαι, ἀλλὰ ἀναδείξας τὸν ἅγιόν σου θεράποντα Μωϋσῆν, δι' αὐτοῦ πρὸς βοήθειαν τοῦ φυσικοῦ τὸν γραπτὸν νόμον δέδωκας

puisti. 23 Tu Abraham liberasti avita impietate mundique heredem constituisti et ei Christum tuum manifestasti; Melchisedech pontificem divini cultus designasti, multa passum famulum tuum Iob victorem serpentis, qui causa malorum fuit, declarasti, Isaac filium promissionis fecisti, Iacob duodecim filiorum patrem eiusque progeniem multiplicasti et ad Aegyptum introduxisti in septuaginta quinque animabus. 24 Tu, domine, Joseph non despexisti, sed pro praemio castitatis tua causa servatae ei dedisti, ut in Aegyptios dominaretur. Tu, domine, Hebraeos ab Aegyptiis obpressos propter fidem patribus eorum datam non neglexisti, sed liberasti castigando Aegyptios. 25 Et cum homines legem naturalem corrupissent creaturamque modo casu ortam arbitrarentur, modo debito magis honorarent ac tibi, omnium deo, compararent, eos errare passus non es, sed sanctum famulum tuum Moysen ostendisti et per eum legem scriptam in adiutorium naturalis dedisti et creaturam tuum opus esse declarasti, errorem vero de multitudine deorum exterminasti;

[1] Ps. 106, 34.

καὶ τὴν κτίσιν ἔδειξας σὸν ἔργον εἶναι, τὴν δὲ πολύθεον πλάνην ἐξώρισας· τὸν Ἀαρὼν καὶ τοὺς ἐξ αὐτοῦ ἱερατικῇ τιμῇ ἐδόξασας, Ἑβραίους ἁμαρτάνοντας ἐκόλασας, ἐπιστρέφοντας ἐδέξω. 26 Τοὺς Αἰγυπτίους δεκαπλήγῳ ἐτιμωρήσω, θάλασσαν διελὼν Ἰσραηλίτας διεβίβασας, Αἰγυπτίους ἐπιδιώξαντας ὑποβρυχίους ἀπώλεσας, ξύλῳ πικρὸν ὕδωρ ἐγλύκανας, ἐκ πέτρας ἀκροτόμου ὕδωρ ἀνέχεας, ἐξ οὐρανοῦ τὸ μάννα ὗσας, τροφὴν ἐξ ἀέρος ὀρτυγομήτραν, στῦλον πυρὸς τὴν νύκτα πρὸς φωτισμὸν καὶ στῦλον νεφέλης ἡμέρας πρὸς σκιασμὸν θάλπους· τὸν Ἰησοῦν στρατηγὸν ἀναδείξας, ἑπτὰ ἔθνη Χαναναίων δι' αὐτοῦ καθεῖλες, Ἰορδάνην „διέρρηξας, τοὺς ποταμοὺς Ἠθὰμ ἐξήρανας“ [1], τείχη κατέρρηξας ἄνευ μηχανημάτων καὶ χειρὸς ἀνθρωπίνης.

27 Ὑπὲρ ἁπάντων σοι ἡ δόξα, δέσποτα παντοκράτορ. Σὲ προσκυνοῦσιν ἀνάριθμοι στρατιαὶ ἀγγέλων, ἀρχαγγέλων, „θρόνων, κυριοτήτων, ἀρχῶν, ἐξουσιῶν“ [2], δυνάμεων, στρατιῶν αἰωνίων· „τὰ Χερουβὶμ καὶ τὰ ἑξαπτέρυγα Σεραφίμ, ταῖς μὲν δυσὶν κατακαλύπτοντα τοὺς πόδας, ταῖς δὲ δυσὶ τὰς κεφαλάς, ταῖς δὲ δυσὶ πετόμενα“ [3], καὶ λέγοντα ἅμα χιλίαις

Aaron eiusque posteros honore sacerdotali decorasti, Hebraeos peccantes castigasti et revertentes suscepisti. 26 Aegyptios decem plagis ultus es, mari diviso Israelitas traduxisti, Aegyptios insecutos submersione delevisti, ligno amaram aquam dulcem fecisti, ex petra dura aquam profudisti, e caelo manna pluisti, pro esca ex aere praebuisti coturnicem, columnam ignis nocte ad inluminandum et columnam nubis die ad umbraculum in aestu constituisti; Iesum ducem declarans septem gentes Chananaeorum per eum delevisti, Iordanem *dirupisti*, *fluvios Etham siccasti*, muros prostravisti sine machinis et sine manu humana.

27 Pro omnibus tibi gloria, domine omnipotens. Te adorant innumerabiles exercitus angelorum, archangelorum, *thronorum*, *dominationum*, *principatuum*, *potestatum*, virtutum, exercituum aeternorum, *Cherubim ac Seraphim senis alis praediti et binis quidem velantes pedes suos, binis capita, binis volantes* et dicentes una cum mille

[1] Ps. 73, 15. [2] Col. 1, 16. [3] Is. 6, 2.

χιλιάσιν ἀρχαγγέλων καὶ μυρίαις μυριάσιν ἀγγέλων ἀκαταπαύστως καὶ ἀσιγήτως βοώσαις, καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἅμα εἰπάτω· „Ἅγιος ἅγιος ἅγιος κύριος Σαβαώθ, πλήρης ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ τῆς δόξης αὐτοῦ· εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν“ [1].

28 *Καὶ ὁ ἀρχιερεὺς ἑξῆς λεγέτω·* 29 *Ἅγιος γὰρ εἶ ὡς ἀληθῶς καὶ πανάγιος, ὕψιστος „καὶ ὑπερυψούμενος εἰς τοὺς αἰῶνας“* [2]. 30 *Ἅγιος δὲ καὶ ὁ μονογενής σου υἱός, ὁ κύριος ἡμῶν καὶ θεὸς Ἰησοῦς ὁ Χριστός, ὃς εἰς πάντα ὑπηρετησάμενός σοι τῷ θεῷ αὐτοῦ καὶ πατρὶ εἴς τε δημιουργίαν διάφορον καὶ πρόνοιαν κατάλληλον οὐ περιεῖδεν τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ἀπολλύμενον, ἀλλὰ μετὰ φυσικὸν νόμον, μετὰ νομικὴν παραίνεσιν, μετὰ προφητικοὺς ἐλέγχους καὶ τὰς τῶν ἀγγέλων ἐπισταστίας (παραφθειρόντων σὺν τῷ θετῷ καὶ τὸν φυσικὸν νόμον καὶ τῆς μνήμης ἐκβαλλόντων τὸν κατακλυσμόν, τὴν ἐκπύρωσιν, τὰς κατ' Αἰγυπτίων πληγάς, τὰς κατὰ Παλαιστινῶν σφαγάς, καὶ μελλόντων ὅσον οὐδέπω ἀπόλλυσθαι πάντων) εὐδόκησεν αὐτὸς γνώμῃ σῇ ὁ δημιουργὸς ἀνθρώπου ἄνθρωπος γενέσθαι, ὁ νομοθέτης ὑπὸ νόμους,*

milibus archangelorum et denis milibus denum milium angelorum indesinenter ac nulla vocis intermissione clamantibus, et omnis populus simul dicat: *Sanctus sanctus sanctus dominus Sabaoth; pleni sunt caeli et terra gloria eius; benedictus in saecula. Amen.*

28 Et pontifex deinceps dicat: 29 Sanctus enim vere es et sanctissimus, altissimus *et superexaltatus in saecula.* 30 Sanctus etiam unigenitus filius tuus, dominus noster et deus Iesus Christus, qui in omnibus tibi, deo suo et patri, et in varia creatione et in convenienti providentia, ministrans non despexit genus humanum, quod peribat, sed post naturalem legem, post legalem admonitionem, post propheticas reprehensiones et angelorum dominationes (cum legem naturalem una cum scripta violarent atque ex memoria deponerent diluvium, conflagrationem, Aegyptiorum plagas Palaestinorumque caedes ilicoque perituri essent omnes) ex sententia tua ipse creator hominis homo fieri statuit, legislator sub legibus, pontifex hostia, pastor ovis; 31 et te suum

[1] Is. 6, 3; Rom. 1, 25. [2] Dan. 3, 28.

ὁ ἀρχιερεὺς ἱερεῖον, ὁ ποιμὴν πρόβατον· 31 καὶ ἐξευμενίσατό σε τὸν ἑαυτοῦ θεὸν καὶ πατέρα καὶ τῷ κόσμῳ κατήλλαξεν καὶ τῆς ἐπικειμένης ὀργῆς τοὺς πάντας ἐλευθέρωσεν γενόμενος ἐκ παρθένου, γενόμενος ἐν σαρκὶ ὁ θεὸς λόγος, ὁ ἀγαπητὸς υἱός, ὁ πρωτότοκος πάσης κτίσεως, κατὰ τὰς περὶ αὐτοῦ ὑπ' αὐτοῦ προρρηθείσας προφητείας ἐκ σπέρματος Δαυὶδ καὶ Ἀβραάμ, φυλῆς Ἰούδα· καὶ γέγονεν ἐν μήτρᾳ παρθένου ὁ διαπλάσσων πάντας τοὺς γεννωμένους καὶ ἐσαρκώθη ὁ ἄσαρκος, ὁ ἀχρόνως[1] γεννηθεὶς ἐν χρόνῳ γεγέννηται. 32 Πολιτευσάμενος ὁσίως καὶ παιδεύσας ἐνθέσμως, πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐξ ἀνθρώπων ἀπελάσας, σημεῖά τε καὶ τέρατα ἐν τῷ λαῷ ποιήσας, τροφῆς καὶ ποτοῦ καὶ ὕπνου μεταλαβὼν ὁ τρέφων πάντας τοὺς χρῄζοντας τροφῆς „καὶ ἐμπιπλῶν πᾶν ζῶον εὐδοκίας, ἐφανέρωσέν σου τὸ ὄνομα“[2] τοῖς ἀγνοοῦσιν αὐτό, τὴν ἄγνοιαν ἐφυγάδευσεν, τὴν εὐσέβειαν ἀνεζωπύρωσεν, τὸ θέλημά σου ἐπλήρωσεν, „τὸ ἔργον ὃ ἔδωκας αὐτῷ ἐτελείωσεν“[3]. 33 Καὶ ταῦτα πάντα κατορθώσας, χερσὶν ἀνόμων κατασχεθεὶς ἱερέων

deum ac patrem placavit et mundo reconciliavit et instanti ira cunctos liberavit, factus ex virgine, *factus in carne deus verbum, dilectus filius, primogenitus omnis creaturae,* secundum prophetias a se de se praedictas e semine David et Abraham, de tribu Iuda; et factus est in utero virginis fictor omnium, qui gignuntur, et incarnatus est carnis expers, et sine tempore genitus in tempore natus est. 32 Vixit sancte et docuit legitime, omnem morbum omnemque infirmitatem ab hominibus expulit, signa et prodigia in populo fecit, cibum, potum, somnum cepit, qui omnes alimenti indigentes alit *omneque animal implet benedictione; manifestavit nomen tuum* iis, qui ignorabant illud, ignorantiam fugavit, pietatem exsuscitavit, *opus, quod dedisti ei, consummavit.* 33 Et his omnibus bene gestis, manibus impiorum comprehensus sacerdotum et pontificum falsi nominis per proditionem eius, qui malitiae morbo languebat, et multa ab iis passus, cum omnem igno-

[1] Ita etiam Gregor. Naz. (or. 29, 2 et 30, 11), sed et ipse Arius in Confessione fidei, quam exhibet Athanasius (de synodis c. 16).
[2] Ps. 144, 16; Ioh. 17, 6. [3] Ioh. 17, 4.

καὶ ἀρχιερέων ψευδωνύμων καὶ λαοῦ παρανόμου προδοσίᾳ τοῦ τὴν κακίαν νοσήσαντος καὶ πολλὰ παθὼν ὑπ' αὐτῶν καὶ πᾶσαν ἀτιμίαν ὑποστὰς σῇ συγχωρήσει, παραδοθεὶς Πιλάτῳ τῷ ἡγεμόνι καὶ κριθεὶς ὁ κριτὴς καὶ κατακριθεὶς ὁ σωτήρ, σταυρῷ προσηλώθη ὁ ἀπαθὴς καὶ ἀπέθανεν ὁ τῇ φύσει ἀθάνατος καὶ ἐτάφη ὁ ζωοποιός, ἵνα πάθους λύσῃ καὶ θανάτου ἐξέληται τούτους, δι' οὓς παρεγένετο, καὶ ῥήξῃ τὰ δεσμὰ τοῦ διαβόλου καὶ ῥύσηται τοὺς ἀνθρώπους ἐκ τῆς ἀπάτης αὐτοῦ. 34 Καὶ ἀνέστη ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ τεσσαράκοντα ἡμέρας ἐνδιατρίψας τοῖς μαθηταῖς „ἀνελήφθη εἰς τοὺς οὐρανοὺς καὶ καθέστη ἐξ δεξιῶν σου τοῦ θεοῦ“ [1] καὶ πατρὸς αὐτοῦ.

35 Μεμνημένοι οὖν, ὧν δι' ἡμᾶς ὑπέμεινεν, εὐχαριστοῦμέν σοι, θεὲ παντοκράτορ, οὐχ ὅσον ὀφείλομεν, ἀλλ' ὅσον δυνάμεθα, καὶ τὴν διάταξιν αὐτοῦ πληροῦμεν. 36 Ἐν ᾗ γὰρ νυκτὶ παρεδίδοτο, λαβὼν ἄρτον ταῖς ἁγίαις καὶ ἀμώμοις αὐτοῦ χερσὶν καὶ ἀναβλέψας πρὸς σέ, τὸν θεὸν αὐτοῦ καὶ πατέρα, καὶ κλάσας ἔδωκεν τοῖς μαθηταῖς εἰπών· Τοῦτο τὸ μυστήριον τῆς καινῆς διαθήκης, λάβετε ἐξ αὐτοῦ, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ

minium tuo permissu sustinuisset, traditus est Pilato praesidi et iudicatus iudex, condemnatus salvator, cruci adfixus impatibilis, mortuus natura immortalis, sepultus est vitae auctor, ut passione solveret et e morte eriperet eos, quorum causa venerat, diaboli vincula rumperet, e fraude eius eriperet homines. 34 Et resurrexit e mortuis tertio die et quadraginta dies commoratus cum discipulis *adsumptus est in caelos et adsidet ad dexteram* tibi deo et patri suo.

35 Memores igitur eorum, quae propter nos pertulit, gratias agimus tibi, deus omnipotens, non quantum debemus, sed quantum possumus, et mandatum eius implemus. 36 *In qua enim nocte tradebatur, sumpsit panem* sanctis et immaculatis manibus suis et elevatis oculis ad te, deum suum et patrem, *fregit ac dedit* discipulis dicens: *Hoc est mysterium novi testamenti, accipite* ex eo, *manducate, hoc est*

[1] Marc. 16, 19.

σῶμά μου, τὸ περὶ πολλῶν θρυπτόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. 37 Ὡσαύτως καὶ τὸ ποτήριον κεράσας ἐξ οἴνου καὶ ὕδατος καὶ ἁγιάσας ἐπέδωκεν αὐτοῖς λέγων· „Πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες, τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν·[1] ὁσάκις γὰρ ἐὰν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ πίνητε τὸ ποτήριον τοῦτο, τὸν θάνατον τὸν ἐμὸν καταγγέλλετε, ἄχρις ἂν ἔλθω“[2].

38 Μεμνημένοι τοίνυν τοῦ πάθους αὐτοῦ καὶ τοῦ θανάτου καὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως καὶ τῆς εἰς οὐρανοὺς ἐπανόδου καὶ τῆς μελλούσης αὐτοῦ δευτέρας παρουσίας, ἐν ᾗ „ἔρχεται μετὰ δόξης καὶ δυνάμεως κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς“[3] καὶ „ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ“[4], προσφέρομέν σοι, τῷ βασιλεῖ καὶ θεῷ, κατὰ τὴν αὐτοῦ διάταξιν τὸν ἄρτον τοῦτον καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο, εὐχαριστοῦντές σοι δι' αὐτοῦ, ἐφ' οἷς κατηξίωσας ἡμᾶς ἑστάναι ἐνώπιόν σου καὶ ἱερατεύειν σοι. 39 Καὶ ἀξιοῦμέν σε, ὅπως εὐμενῶς ἐπιβλέψῃς ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα ἐνώπιόν σου, σὺ ὁ ἀνενδεὴς θεός, καὶ εὐδοκήσῃς

corpus meum, quod pro multis frangitur in remissionem peccatorum. 37 *Similiter calicem* ex vino et aqua mixtum sanctificavit et dedit iis dicens: *Bibite ex eo omnes, hoc est sanguis meus, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum; hoc facite in meam commemorationem; quotiescumque enim manducabitis panem hunc et bibetis hunc calicem, mortem meam adnuntiabitis, donec veniam.*

38 Memores igitur passionis eius et mortis et a mortuis resurrectionis et in caelos reditus et futuri eius secundi adventus, in quo *cum gloria et potestate veniet iudicare vivos et mortuos et reddere unicuique secundum opera sua*, offerimus tibi, regi ac deo, secundum mandatum eius panem hunc et calicem hunc, gratias tibi per eum agentes, quod nos dignos putasti, qui staremus coram te et sacerdotio fungeremur tibi. 39 Et oramus te, uti benigne respicias haec dona in conspectu tuo proposita, tu, qui nulla re eges deus, et ut placeant tibi in honorem Christi tui, et ut mittas spiritum

[1] Matth. 26, 27—28. [2] 1 Cor. 11, 26. [3] Marc. 13, 26; 1 Petr. 4, 5. [4] Rom. 2, 6.

ἐπ' αὐτοῖς εἰς τιμὴν τοῦ Χριστοῦ σου καὶ καταπέμψῃς τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἐπὶ τὴν θυσίαν ταύτην, „τὸν μάρτυρα τῶν παθημάτων τοῦ κυρίου Ἰησοῦ“ [1], ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα τοῦ Χριστοῦ σου καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου· ἵνα οἱ μεταλαβόντες αὐτοῦ βεβαιωθῶσιν πρὸς εὐσέβειαν, ἀφέσεως ἁμαρτημάτων τύχωσιν, τοῦ διαβόλου καὶ τῆς πλάνης αὐτοῦ ῥυσθῶσιν, πνεύματος ἁγίου πληρωθῶσιν, ἄξιοι τοῦ Χριστοῦ σου γένωνται, ζωῆς αἰωνίου τύχωσιν, σοῦ καταλλαγέντος αὐτοῖς, δέσποτα παντοκράτορ [2].

40 Ἔτι δεόμεθά σου, κύριε, καὶ ὑπὲρ τῆς ἁγίας σου ἐκκλησίας τῆς ἀπὸ περάτων ἕως περάτων, „ἣν περιεποιήσω τῷ τιμίῳ αἵματι“ [3] τοῦ Χριστοῦ σου, ὅπως αὐτὴν διαφυλάξῃς ἄσειστον καὶ ἀκλυδώνιστον ἄχρι τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, καὶ ὑπὲρ πάσης ἐπισκοπῆς „τῆς ὀρθοτομούσης τὸν λόγον τῆς ἀληθείας“ [4]. 41 Ἔτι παρακαλοῦμέν σε καὶ ὑπὲρ τῆς ἐμῆς τοῦ προσφέροντός σοι οὐδενίας καὶ ὑπὲρ παντὸς τοῦ πρεσβυτερίου, ὑπὲρ τῶν διακόνων καὶ παντὸς

sanctum tuum super hoc sacrificium, *testem passionum domini Iesu*, ut efficiat hunc panem corpus Christi tui et hunc calicem sanguinem Christi tui, ut, qui eius participes fiunt, ad pietatem confirmentur, remissionem peccatorum consequantur, a diabolo eiusque fraude defendantur, spiritu sancto repleantur, digni Christo tuo fiant, vitam aeternam adipiscantur, te illis reconciliato, domine omnipotens.

40 Porro rogamus te, domine, pro sancta ecclesia tua, quae a finibus usque ad fines extenditur, *quam acquisivisti pretioso sanguine* Christi tui, ut eam serves non concussam, non vexatam usque ad saeculi consummationem, et pro universo episcopatu, *recte* verbum *veritatis tractante*. 41 Etiam rogamus te pro mea, qui tibi offero, vilitate et pro omni presbyterio, pro diaconis et universo clero, ut omnes docens spiritu sancto

[1] 1 Petr. 5, 1. [2] Epicleseos quarto saeculo et hi meminerunt: Cyrillus cat. myst. 5, 7; Basilius de spir. s. 27, 66; Chrysost. de sacerd. III 4 et VI 4; idem de s. pentecost. hom. 1, 4. [3] Act. 20, 28. [4] 2 Tim. 2, 15.

τοῦ κλήρου, ἵνα πάντας σοφίσας πνεύματος ἁγίου πληρώσῃς. 42 Ἔτι παρακαλοῦμέν σε, κύριε, ὑπὲρ τοῦ βασιλέως καὶ τῶν ἐν ὑπεροχῇ καὶ παντὸς τοῦ στρατοπέδου, ἵνα εἰρηνεύωνται τὰ πρὸς ἡμᾶς, ὅπως ἐν ἡσυχίᾳ καὶ ὁμονοίᾳ διάγοντες τὸν πάντα χρόνον τῆς ζωῆς ἡμῶν δοξάζωμέν σε διὰ „Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν“ [1]. 43 Ἔτι προσφέρομέν σοι καὶ ὑπὲρ πάντων τῶν ἀπ' αἰῶνος εὐαρεστησάντων σοι ἁγίων [2], πατριαρχῶν, προφητῶν, δικαίων, ἀποστόλων, μαρτύρων, ὁμολογητῶν, ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων ὑποδιακόνων, ἀναγνωστῶν, ψαλτῶν, παρθένων, χηρῶν, λαϊκῶν καὶ πάντων, ὧν αὐτὸς ἐπίστασαι τὰ ὀνόματα. 44 Ἔτι προσφέρομέν σοι ὑπὲρ τοῦ λαοῦ τούτου, ἵνα ἀναδείξῃς αὐτὸν εἰς ἔπαινον τοῦ Χριστοῦ σου „βασίλειον ἱεράτευμα, ἔθνος ἅγιον“ [3]· ὑπὲρ τῶν ἐν παρθενίᾳ καὶ ἁγνείᾳ, ὑπὲρ τῶν χηρῶν τῆς ἐκκλησίας, ὑπὲρ τῶν ἐν σεμνοῖς γάμοις καὶ τεκνογονίαις, ὑπὲρ τῶν νηπίων τοῦ λαοῦ σου, ὅπως μηδένα ἡμῶν ἀπόβλητον ποιήσῃς. 45 Ἔτι ἀξιοῦ-

repleas. 42 Etiam oramus te, domine, pro rege iisque, qui in sublimitate sunt, et pro toto exercitu, ut res nostrae in pace administrentur, ut omne tempus vitae nostrae in pace et concordia degentes glorificemus te *per Iesum Christum spem nostram*. 43 Porro offerimus tibi et pro omnibus sanctis, qui a saeculo placuerunt tibi, pro patriarchis, prophetis, iustis, apostolis, martyribus, confessoribus, episcopis, presbyteris, diaconis, subdiaconis, lectoribus, cantoribus, virginibus, viduis, laicis et pro omnibus, quorum ipse nosti nomina. 44 Porro offerimus tibi pro hoc populo, ut eum exhibeas in laudem Christi tui *regale sacerdotium, gentem sanctam;* pro iis, qui in virginitate et castitate sunt, pro viduis ecclesiae, pro iis, qui in honestis nuptiis et in procreatione liberorum degunt, pro infantibus plebis tuae, ne quem nostrum reiectum habeas. 45 Etiam rogamus te et pro hac urbe et habitantibus in ea, pro aegrotis, pro iis,

[1] Tim. 1, 1. [2] Similiter Liturgia Chrysostomi (Hammond, Liturgies p. 113; Brightman, Liturgies I 331). Sacrificia pro martyribus oblata esse testantur etiam Cypr. ep. 39, 3 (cfr. ep 12, 2) et Chrysost. in Acta hom. 21, 4. At August. (serm. 159, 1 et in Ioh. tract. 84, 1) vetat pro martyribus orari. Cfr. Lucius, Die Anfänge des Heiligenkultus 1904, 280 s. [3] 1 Petr. 2, 9.

μέν σε καὶ ὑπὲρ τῆς πόλεως ταύτης καὶ τῶν ἐνοικούντων, ὑπὲρ τῶν ἐν ἀρρωστίαις, ὑπὲρ τῶν ἐν πικρᾷ δουλείᾳ, ὑπὲρ τῶν ἐν ἐξορίαις, ὑπὲρ τῶν ἐν δημεύσει, ὑπὲρ πλεόντων καὶ ὁδοιπορούντων, ὅπως πάντων ἐπίκουρος γένῃ, πάντων „βοηθὸς καὶ ἀντιλήπτωρ“ [1]. 46 Ἔτι παρακαλοῦμέν σε ὑπὲρ τῶν „μισούντων ἡμᾶς καὶ διωκόντων ἡμᾶς διὰ τὸ ὄνομά σου“ [2], ὑπὲρ τῶν ἔξω ὄντων καὶ πεπλανημένων, ὅπως ἐπιστρέψῃς αὐτοὺς εἰς ἀγαθὸν καὶ τὸν θυμὸν αὐτῶν πραΰνῃς. 47 Ἔτι παρακαλοῦμέν σε καὶ ὑπὲρ τῶν κατηχουμένων τῆς ἐκκλησίας καὶ ὑπὲρ τῶν χειμαζομένων ὑπὸ τοῦ ἀλλοτρίου καὶ ὑπὲρ τῶν ἐν μετανοίᾳ ἀδελφῶν ἡμῶν, ὅπως τοὺς μὲν τελειώσῃς ἐν τῇ πίστει, τοὺς δὲ καθαρίσῃς ἐκ τῆς ἐνεργείας τοῦ πονηροῦ, τῶν δὲ τὴν μετάνοιαν προσδέξῃ, καὶ συγχωρήσῃς καὶ αὐτοῖς καὶ ἡμῖν τὰ παραπτώματα ἡμῶν. 48 Ἔτι προσφέρομέν σοι καὶ ὑπὲρ τῆς εὐκρασίας τοῦ ἀέρος καὶ τῆς εὐφορίας τῶν καρπῶν, ὅπως ἀνελλειπῶς μεταλαμβάνοντες τῶν παρὰ σοῦ ἀγαθῶν αἰνῶμέν σε ἀπαύστως, „τὸν διδόντα τροφὴν πάσῃ σαρκί“ [3]. 49 Ἔτι παρακαλοῦμέν σε καὶ ὑπὲρ τῶν δι' εὔλογον αἰτίαν ἀπόντων, ὅπως

qui servitute adfliguntur, pro exsulibus, pro proscriptis, pro navigantibus et iter facientibus, ut omnium sis auxiliator, omnium *adiutor ac defensor*. 46 Etiam rogamus te pro iis, *qui oderunt nos et persecuntur nos propter nomen tuum*, qui foris sunt et errant, ut vertas eos ad bonum animosque eorum mitiges. 47 Etiam rogamus te pro catechumenis ecclesiae et pro iis, qui ab adversario iactantur, et pro iis fratribus nostris, qui sunt in paenitentia, ut illos perficias in fide, alteros purges de vexatione mali, horum autem paenitentiam accipias condonesque et iis et nobis delicta nostra. 48 Praeterea offerimus tibi et pro aeris temperamento et pro ubertate frugum, ut continuo bona a te conlata capientes laudemus te adsidue, *qui das escam omni carni*. 49 Etiam rogamus te et pro iis, qui ob iustam causam absunt, ut omnes nos conserves in pietate et congreges in regnum Christi tui, dei universae naturae visibilis et intellectualis, regis nostri, immutabiles, integros, non reprehensos. 50 Quoniam tibi omnis gloria, veneratio et gratiarum actio, honor et

[1] Ps. 118, 114. [2] Matth. 10, 22. [3] Ps. 135, 25.

ἅπαντας ἡμᾶς διατηρήσας ἐν τῇ εὐσεβείᾳ ἐπισυναγάγῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Χριστοῦ σου, τοῦ θεοῦ πάσης αἰσθητῆς καὶ νοητῆς φύσεως, τοῦ βασιλέως ἡμῶν, ἀτρέπτους, ἀμέμπτους, ἀνεγκλήτους. 50 Ὅτι σοὶ πᾶσα δόξα, σέβας καὶ εὐχαριστία, τιμὴ καὶ προσκύνησις, τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, καὶ νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς ἀνελλειπεῖς καὶ ἀτελευτήτους αἰῶνας τῶν αἰώνων. 51 Καὶ πᾶς ὁ λαὸς λεγέτω· Ἀμήν.

XIII. Καὶ ὁ ἐπίσκοπος εἰπάτω· Ἡ εἰρήνη τοῦ θεοῦ εἴη μετὰ πάντων ὑμῶν, καὶ πᾶς ὁ λαὸς λεγέτω· Καὶ μετὰ τοῦ πνεύματός σου. 2 Καὶ ὁ διάκονος κηρυσσέτω πάλιν. 3 (XIII) Ἔτι καὶ ἔτι δεηθῶμεν τοῦ θεοῦ διὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ. Ὑπὲρ τοῦ δώρου τοῦ προσκομισθέντος κυρίῳ τῷ θεῷ ἡμῶν δεηθῶμεν, ὅπως ὁ ἀγαθὸς θεὸς προσδέξηται αὐτὸ διὰ τῆς μεσιτείας τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ εἰς τὸ ἐπουράνιον αὐτοῦ θυσιαστήριον εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. 4 Ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας ταύτης καὶ τοῦ λαοῦ δεηθῶμεν· ὑπὲρ πάσης ἐπισκοπῆς, παντὸς πρεσβυτερίου, πάσης τῆς ἐν Χριστῷ διακονίας καὶ ὑπηρεσίας, παντὸς τοῦ πληρώματος τῆς ἐκκλησίας δεηθῶμεν, ὅπως ὁ κύριος πάντας διατηρήσῃ καὶ διαφυλάξῃ. 5 „Ὑπὲρ βασιλέων καὶ τῶν ἐν ὑπεροχῇ

adoratio, patri et filio et sancto spiritui, et nunc et semper et in infinita et sempiterna saecula saeculorum. 51 Et omnis populus respondeat: Amen.

XIII. Et episcopus dicat: Pax dei sit cum omnibus vobis, atque omnis populus respondeat: Et cum spiritu tuo. 2 Ac diaconus iterum praedicet: 3 (XIII) Iterum atque iterum oremus deum per Christum eius. Pro munere deo nostro oblato oremus, ut bonus deus, intercedente Christo suo, illud accipiat in caeleste altare suum in odorem suavitatis. 4 Pro hac ecclesia et populo oremus; pro universo episcopatu, omni presbyterio, omni in Christo diaconio et ministerio, omni ecclesiae coetu oremus, ut dominus omnes conservet et custodiat. 5 *Pro regibus et in sublimitate constitutis oremus*, ut res nostrae in pace administrentur, *ut vitam quietam et tranquillam agentes*

δεηθῶμεν", ἵνα εἰρηνεύωνται τὰ πρὸς ἡμᾶς, „ὅπως ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον ἔχοντες διάγωμεν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι".[1]

6 Τῶν ἁγίων μαρτύρων μνημονεύσωμεν[2], ὅπως κοινωνοὶ γενέσθαι τῆς ἀθλήσεως αὐτῶν καταξιωθῶμεν. Ὑπὲρ τῶν ἐν πίστει ἀναπαυσαμένων δεηθῶμεν. 7 Ὑπὲρ τῆς εὐκρασίας τῶν ἀέρων καὶ τελεσφορίας τῶν καρπῶν δεηθῶμεν. 8 Ὑπὲρ τῶν νεοφωτίστων δεηθῶμεν, ὅπως βεβαιωθῶσιν ἐν τῇ πίστει· πάντες ὑπὲρ ἀλλήλων παρακαλέσωμεν. 9 Ἀνάστησον ἡμᾶς, ὁ θεός, ἐν τῇ χάριτί σου. Ἀναστάντες ἑαυτοὺς τῷ θεῷ διὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ παραθώμεθα.

10 Καὶ ὁ ἐπίσκοπος λεγέτω· „Ὁ θεὸς ὁ μέγας καὶ μεγαλώνυμος, ὁ μέγας τῇ βουλῇ καὶ κραταιὸς τοῖς ἔργοις"[3], ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ ἁγίου παιδός σου Ἰησοῦ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν, ἐπίβλεψον ἐφ' ἡμᾶς καὶ ἐπὶ τὸ ποίμνιόν σου τοῦτο, ὃ δι' αὐτοῦ ἐξελέξω εἰς δόξαν τοῦ ὀνόματός σου· καὶ ἁγιάσας ἡμῶν τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν καταξίωσον, „καθαροὺς γενομένους ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος"[4], τυχεῖν τῶν προκειμένων ἀγαθῶν·

in omni pietate ac probitate vivamus. 6 Sanctorum martyrum meminerimus, ut digni habeamur, qui participes fiamus certaminis eorum. Pro iis oremus, qui in fide quieverunt. 7 Pro aeris temperamento et frugum maturitate oremus. 8 Pro recens inluminatis oremus, ut firmentur in fide; omnes alii pro aliis obsecremus. 9 Excita nos, deus, in gratia tua. Excitati ipsi nos deo per Christum suum commendemus.

10 Et episcopus dicat: *Deus magne et magni consilii, magne consilio et potens operibus*, deus et pater sancti pueri tui Iesu salvatoris nostri, respice ad nos et ad gregem tuum hunc, quem per eum elegisti ad gloriam nominis tui; et sanctificatis corpore nostro et anima concede, ut *effecti puri ab omni inquinamento carnis et spiritus* proposita bona consequamur; neque quemquam nostrum indignum iudices, sed adiutor noster

[1] 1 Tim. 2, 1—2. [2] Hic martyres commemorantur tamquam exemplum christianis exhibentes; at in c. 12, 43 etiam pro martyribus sacrificium offertur. [3] Ier. 39, 19. [4] 2 Cor. 7, 1.

καὶ μηδένα ἡμῶν ἀνάξιον κρίνῃς, ἀλλὰ βοηθὸς ἡμῶν γενοῦ, ἀντιλήπτωρ, ὑπερασπιστὴς διὰ τοῦ Χριστοῦ σου, μεθ' οὗ σοὶ δόξα, τιμή, αἶνος, δοξολογία, εὐχαριστία καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας· ἀμήν.

sis, opitulator, propugnator per Christum tuum, quocum tibi gloria, honor, laus, glorificatio, gratiarum actio et sancto spiritui in saecula. Amen.

11 Καὶ μετὰ τὸ πάντας εἰπεῖν· Ἀμήν ὁ διάκονος λεγέτω· Πρόσχωμεν. 12 Καὶ ὁ ἐπίσκοπος προσφωνησάτω τῷ λαῷ οὕτω· Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. 13 Καὶ ὁ λαὸς ὑπακουέτω· Εἷς ἅγιος, εἷς κύριος, Ἰησοῦς Χριστός, εἰς δόξαν θεοῦ πατρὸς εὐλογητὸς εἶ εἰς τοὺς αἰῶνας· ἀμήν.[1] „Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία· ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαυίδ, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου θεὸς κύριος καὶ ἐπεφάνη ἐν ἡμῖν, ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις"[2]. 14 Καὶ μετὰ τοῦτο μεταλαμβανέτω ὁ ἐπίσκοπος, ἔπειτα οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ διάκονοι καὶ οἱ ὑποδιάκονοι καὶ οἱ ἀναγνῶσται καὶ οἱ ψάλται καὶ οἱ ἀσκηταί, καὶ ἐν ταῖς γυναιξὶν αἱ διάκοναι καὶ αἱ παρθένοι καὶ αἱ χῆραι, εἶτα τὰ παιδία, καὶ τότε πᾶς ὁ λαὸς κατὰ τάξιν μετὰ αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας ἄνευ θορύβου. 15 Καὶ

11 Et postquam omnes dixerunt: Amen, diaconus dicat: Adtendamus. 12 Et episcopus adloquatur ita populum: Sancta sanctis. 13 Populusque respondeat: Unus sanctus, unus dominus, Iesus Christus in gloriam dei patris benedictus es in saecula, amen. *Gloria in altissimis deo et in terra pax, in hominibus bona voluntas; hosanna filio David; benedictus, qui venit in nomine domini, deus dominus et adparuit in nobis; hosanna in altissimis.* 14 Et post hoc sumat episcopus, deinde presbyteri, diaconi, subdiaconi, lectores, cantores, ascetae, et in mulieribus diaconissae, virgines viduaeque, tum pueri, deinde omnis populus composite cum pudore et reverentia absque strepitu. 15 Et episcopus tribuat oblatam dicens: Corpus

[1] Cyrill. cat. myst. 5, 19. Etiam Didymus (de trin. III 13) hunc liturgiae locum respicere videtur de Christo dicens: *ὁ εἷς ἅγιος, εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν θεοῦ πατρός. ἀμήν* (Migne p. gr. 39, 861).
[2] Luc. 2, 14; Matth. 21, 9; Ps. 117, 27.

ὁ μὲν ἐπίσκοπος διδότω τὴν προσφορὰν λέγων. Σῶμα Χριστοῦ, καὶ ὁ δεχόμενος λεγέτω· Ἀμήν. Ὁ δὲ διάκονος κατεχέτω τὸ ποτήριον καὶ ἐπιδιδοὺς λεγέτω· Αἷμα Χριστοῦ, ποτήριον ζωῆς, καὶ ὁ πίνων λεγέτω· Ἀμήν. 16 Ψαλμὸς δὲ λεγέσθω λγ' ἐν τῷ μεταλαμβάνειν πάντας τοὺς λοιποὺς[1]. 17 Καὶ ὅταν πάντες μεταλάβωσιν καὶ πᾶσαι, λαβόντες οἱ διάκονοι τὰ περισσεύσαντα εἰσφερέτωσαν εἰς τὰ παστοφόρια.

XIV. Καὶ ὁ διάκονος λεγέτω παυσαμένου τοῦ ψάλλοντος· 2 (XIV) Μεταλαβόντες τοῦ τιμίου σώματος καὶ τοῦ τιμίου αἵματος τοῦ Χριστοῦ εὐχαριστήσωμεν τῷ καταξιώσαντι ἡμᾶς μεταλαβεῖν τῶν ἁγίων αὐτοῦ μυστηρίων, καὶ παρακαλέσωμεν μὴ εἰς κρίμα, ἀλλ' εἰς σωτηρίαν ἡμῖν γενέσθαι, εἰς ὠφέλειαν ψυχῆς καὶ σώματος, εἰς φυλακὴν εὐσεβείας, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, εἰς ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. 3 Ἐγειρώμεθα· ἐν χάριτι Χριστοῦ ἑαυτοὺς τῷ μόνῳ ἀγεννήτῳ θεῷ καὶ τῷ Χριστῷ αὐτοῦ παραθώμεθα.

XV. Καὶ ὁ ἐπίσκοπος εὐχαριστείτω· 2 (XV) Δέσποτα ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ πατὴρ τοῦ Χριστοῦ σου τοῦ εὐλογητοῦ παιδός, ὁ τῶν μετ' εὐθύτητος ἐπι-

Christi, et qui accipit respondeat: Amen. Diaconus autem teneat calicem et tradendo dicat: Sanguis Christi, calix vitae, et qui bibit respondeat: Amen. 16 Psalmus autem XXXIII. dicatur, dum reliqui omnes communicant. 17 Et cum universi et universae communicaverint, diaconi reliquias accipiant et in pastophoria inferant.

XIV. Et diaconus, postquam psallens finem fecit, dicat: 2 (XIV) Percepto pretioso corpore et pretioso sanguine Christi gratias agamus ei, qui dignos nos fecit, qui participes essemus sanctorum eius mysteriorum; atque rogemus, ut id nobis non in iudicium, sed in salutem fiat, in utilitatem animae corporisque, in custodiam pietatis, in remissionem peccatorum, in vitam futuri saeculi. 3 Surgamus: in gratia Christi ipsi nos soli ingenito deo et Christo eius commendemus.

XV. Et episcopus gratias agat: 2 (XV) Domine deus omnipotens, pater Christi tui benedicti filii, exauditor recte te invocantium, cognitor precum eo-

[1] Cfr. Cyrill. cat. myst. 5, 20.

καλουμένων σε ἐπήκοος, ὁ καὶ τῶν σιωπώντων ἐπιστάμενος τὰς ἐντεύξεις· εὐχαριστοῦμέν σοι, ὅτι κατηξίωσας ἡμᾶς μεταλαβεῖν τῶν ἁγίων σου μυστηρίων, ἃ παρέσχου ἡμῖν εἰς πληροφορίαν τῶν καλῶς ἐγνωσμένων, εἰς φυλακὴν τῆς εὐσεβείας, εἰς ἄφεσιν πλημμελημάτων, ὅτι τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ σου ἐπικέκληται ἐφ' ἡμᾶς καὶ σοὶ προσῳκειώμεθα. 3 Ὁ χωρίσας ἡμᾶς τῆς τῶν ἀσεβῶν κοινωνίας, ἕνωσον ἡμᾶς μετὰ τῶν καθωσιωμένων σοι, στήριξον ἡμᾶς ἐν τῇ ἀληθείᾳ τῇ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐπιφοιτήσει, τὰ ἀγνοούμενα ἀποκάλυψον, τὰ λείποντα προσαναπλήρωσον, τὰ ἐγνωσμένα κράτυνον. 4 Τοὺς ἱερεῖς ἀμώμους διαφύλαξον ἐν τῇ λατρείᾳ σου, τοὺς βασιλεῖς διατήρησον ἐν εἰρήνῃ, τοὺς ἄρχοντας ἐν δικαιοσύνῃ, τοὺς ἀέρας ἐν εὐκρασίᾳ, τοὺς καρποὺς ἐν εὐφορίᾳ, τὸν κόσμον ἐν παναλκεῖ προνοίᾳ· τὰ ἔθνη τὰ πολεμικὰ πράϋνον, τὰ πεπλανημένα ἐπίστρεψον. 5 Τὸν λαόν σου ἁγίασον, τοὺς ἐν παρθενίᾳ διατήρησον, τοὺς ἐν γάμῳ διαφύλαξον ἐν πίστει, τοὺς ἐν ἁγνείᾳ ἐνδυνάμωσον, τὰ νήπια ἄδρυνον, τοὺς νεοτελεῖς βεβαίωσον, τοὺς ἐν κατηχήσει παίδευσον καὶ τῆς μυήσεως ἀξίους ἀνάδειξον, καὶ πάντας ἡμᾶς ἐπισυνάγαγε εἰς τὴν τῶν οὐρανῶν

rum quoque, qui tacent; gratias tibi agimus, quod nos dignos putasti, qui participes essemus sanctorum mysteriorum tuorum, quae praebuisti nobis ad plenam fidem eorum, quae bene cognovimus, ad custodiam pietatis, ad remissionem delictorum, quoniam nomen Christi tui invocatum est super nos et tibi adiuncti sumus. 3 Qui segregasti nos ab impiorum communione, coniunge nos cum iis, qui tibi consecrati sunt, confirma nos in veritate per adventum spiritus sancti; quae ignoramus, revela; quae deficiunt, supple; quae cognovimus, corobora. 4 Sacerdotes bonos conserva in cultu tuo, reges tuere in pace, magistratus in iustitia, aerem in temperie, fruges in ubertate, mundum omnipotenti providentia; gentes bellicosas mitiga, errantes converte. 5 Populum tuum sanctifica, virgines conserva, coniuges custodi in fide, castos robora, infantes fac ut pubescant, nuper initiatos firma, catechumenos erudi et dignos initiatione redde omnesque nos congrega in regnum caelorum in Christo Iesu domino nostro, quocum tibi gloria, honor, veneratio et sancto spiritui in saecula. Amen.

βασιλείαν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, μεθ' οὗ σοὶ δόξα, τιμὴ καὶ σέβας καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας· ἀμήν.

6 *Καὶ ὁ διάκονος λεγέτω· Τῷ θεῷ διὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ κλίνατε καὶ εὐλογεῖσθε.* 7 *Καὶ ὁ ἐπίσκοπος ἐπευχέσθω λέγων· Ὁ θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ ἀληθινὸς καὶ ἀσύγκριτος, ὁ πανταχοῦ ὢν καὶ τοῖς πᾶσι παρὼν καὶ ἐν οὐδενὶ ὡς ἐνόν τι ὑπάρχων, ὁ τόποις μὴ περιγραφόμενος, ὁ χρόνοις μὴ παλαιούμενος, ὁ αἰῶσιν μὴ περατούμενος, ὁ λόγοις μὴ παραγόμενος, ὁ γενέσει μὴ ὑποκείμενος, ὁ φυλακῆς μὴ δεόμενος, ὁ φθορᾶς ἀνώτερος, ὁ τροπῆς ἀνεπίδεκτος, ὁ φύσει ἀναλλοίωτος „ὁ φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον“ [1], ὁ τῇ φύσει ἀόρατος, ὁ γνωστὸς πάσαις ταῖς μετ' εὐνοίας ἐκζητούσαις σε λογικαῖς φύσεσιν, ὁ καταλαμβανόμενος ὑπὸ τῶν ἐν εὐνοίᾳ ἐπιζητούντων σε, ὁ θεὸς Ἰσραὴλ τοῦ ἀληθινῶς ὁρῶντος, τοῦ εἰς Χριστὸν πιστεύσαντος λαοῦ σου·* 8 *εὐμενὴς γενόμενος ἐπάκουσόν μου διὰ τὸ ὄνομά σου καὶ εὐλόγησον τούς σοι κεκλικότας τοὺς ἑαυτῶν αὐχένας καὶ „δὸς αὐτοῖς τὰ αἰτήματα τῶν καρδιῶν αὐτῶν“ [2] τὰ ἐπὶ συμφέροντι, καὶ μηδένα αὐτῶν ἀπόβλητον ποιήσῃς*

6 Et diaconus dicat: Deo per Christum suum inclinate et accipite benedictionem. 7 Tum episcopus precetur dicens: Deus omnipotens, verax et incomparabilis, qui ubique ades omnibusque praesens es et in nullo es tamquam aliquid in eo exsistens, qui locis non circumscriberis, qui temporibus non senescis, qui saeculis non terminaris, qui verbis non seduceris, ortui non subiaces, custodiae non indiges, qui interitus immutationisque incapax es, qui natura es immutabilis, *qui lucem inhabitas inaccessibilem,* natura invisibilis, omnibus naturis rationalibus te benevole requirentibus notus, qui deprehenderis ab iis, qui in benevolentia te quaerunt, deus Israel, populi tui vere videntis, in Christum credentis; 8 propitius factus exaudi me propter nomen tuum et benedic iis, qui tibi inclinaverunt cervices suas, et *da eis cordis sui petitiones* quae utiles sunt, neve quemquam eorum abiectum facias a regno tuo, sed sanctifica

[1] 1 Tim. 6, 16. [2] Ps. 36, 4.

ἐκ τῆς βασιλείας σου ἀλλὰ ἁγίασον αὐτούς, φρούρησον, σκέπασον, ἀντιλαβοῦ, ῥῦσαι τοῦ ἀλλοτρίου, παντὸς ἐχθροῦ, τοὺς οἴκους αὐτῶν φύλαξον, „τὰς εἰσόδους αὐτῶν καὶ τὰς ἐξόδους φρούρησον“[1]· 9 *ὅτι σοὶ δόξα, αἶνος, μεγαλοπρέπεια, σέβας, προσκύνησις καὶ τῷ σῷ παιδὶ Ἰησοῦ τῷ Χριστῷ σου, τῷ κυρίῳ ἡμῶν καὶ θεῷ καὶ βασιλεῖ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων· ἀμήν.* 10 *Καὶ ὁ διάκονος ἐρεῖ· Ἀπολύεσθε ἐν εἰρήνῃ.* 11 *Ταῦτα περὶ τῆς μυστικῆς λατρείας διατασσόμεθα ἡμεῖς οἱ ἀπόστολοι ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις καὶ τοῖς διακόνοις.*

eos, custodi, protege, adiuva, libera ab adversario, ab omni inimico; domus eorum serva; *introitus eorum et exitus tuere;* 9 quoniam tibi gloria, laus, maiestas, veneratio, adoratio, et filio tuo, Iesu Christo tuo, domino et deo et regi nostro, et sancto spiritui nunc et semper et in saecula saeculorum, amen. 10 Et diaconus dicat: Ite in pace. 11 Haec de mystico cultu nos apostoli constituimus vobis episcopis et presbyteris et diaconis.

XII. LOCI EVCHARISTICI BREVIORES (usque ad annum 300).

1. Didache.

Κατὰ κυριακὴν δὲ κυρίου συναχθέντες κλάσατε ἄρτον καὶ εὐχαριστήσατε, προεξομολογησάμενοι τὰ παραπτώματα ὑμῶν, ὅπως καθαρὰ ἡ θυσία ὑμῶν ᾖ (c. 14).

Die autem dominica congregati frangite panem et gratias agite, postquam confessi eritis peccata vestra, ut mundum sit sacrificium vestrum.

2. Clemens Romanus.

Τὸ καύχημα ἡμῶν καὶ ἡ παρρησία ἔστω ἐν αὐτῷ· ὑποτασσώμεθα τῷ θελήματι αὐτοῦ· κατανοήσωμεν τὸ πᾶν πλῆθος τῶν

Gloriatio nostra et fiducia in ipso sit; voluntati eius subiciamur et multitudinem universam angelorum eius diligenter con-

[1] Ps. 120, 8.

ἀγγέλων αὐτοῦ, πῶς τῷ θελήματι αὐτοῦ λειτουργοῦσιν παρεστῶτες. Λέγει γὰρ ἡ γραφή· „Μύριαι μυριάδες παρειστήκεισαν αὐτῷ καὶ χίλιαι χιλιάδες ἐλειτούργουν αὐτῷ καὶ ἀνέκραγον· Ἅγιος ἅγιος ἅγιος κύριος σαβαώθ, πλήρης πᾶσα ἡ κτίσις τῆς δόξης αὐτοῦ“ [1]. *Καὶ ἡμεῖς οὖν ἐν ὁμονοίᾳ ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναχθέντες τῇ συνειδήσει ὡς ἐξ ἑνὸς στόματος βοήσωμεν πρὸς αὐτὸν ἐκτενῶς εἰς τὸ μετόχους ἡμᾶς γενέσθαι τῶν μεγάλων καὶ ἐνδόξων ἐπαγγελιῶν αὐτοῦ* [2] (ep. 1 ad Cor. 34, 5—7).

sideremus, quomodo adstantes voluntatem eius exsequantur. Dicit enim scriptura: *Dena milia denum milium adsistebant ei et mille milia deserviebant ei et clamabant: Sanctus sanctus sanctus dominus Sabaoth; plena est omnis creatura gloria eius.* Et nos igitur, unanimiter in unum congregati, cum conscientia tamquam ex uno ore ad ipsum continuo clamemus, ut magnarum et praeclararum promissionum eius participes fiamus.

3. Ignatius Antiochenus.

Σπουδάζετε οὖν πυκνότερον συνέρχεσθαι εἰς εὐχαριστίαν θεοῦ καὶ δόξαν. Ὅταν γὰρ πυκνῶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ γίνεσθε, καθαιροῦνται αἱ δυνάμεις τοῦ σατανᾶ, καὶ λύεται ὁ ὄλεθρος αὐτοῦ ἐν τῇ ὁμονοίᾳ ὑμῶν τῆς πίστεως. 2 *Οὐδέν ἐστιν ἄμεινον εἰρήνης, ἐν ᾗ πᾶς πόλεμος καταργεῖται ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων* (Eph. 13).

... ἕνα ἄρτον κλῶντες, ὅς ἐστιν φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτος τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ διὰ παντός (Eph. 20, 2).

Date itaque operam, ut crebriores congregemini ad gratias deo agendas et laudes. Quando enim crebri in eundem locum convenitis, labefactantur vires satanae et concordia vestrae fidei solvitur exitium, quod ille infert. 2 Nihil praestantius pace est, qua aboletur omne bellum caelestium et terrestrium.

... frangentes unum panem, qui remedium immortalitatis est, antidotus, ne moriamur, sed vivamus in Iesu Christo semper.

Σπουδάζετε οὖν μίᾳ εὐχαριστίᾳ

Studeatis igitur una eucha-

[1] Dan. 7, 10; Is. 6, 3. [2] Cfr. Cyrill. cat. myst. 5, 6; Constit. apost. VIII 12, 27.

χρῆσθαι· μία γὰρ σάρξ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἓν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ, ἓν θυσιαστήριον, ὡς εἷς ἐπίσκοπος ἅμα τῷ πρεσβυτερίῳ καὶ διακόνοις, τοῖς συνδούλοις μου· ἵνα, ὃ ἐὰν πράσσητε, κατὰ θεὸν πράσσητε (Philad. 4).

Οὐχ ἥδομαι τροφῇ φθορᾶς οὐδὲ ἡδοναῖς τοῦ βίου τούτου. Ἄρτον θεοῦ θέλω, ὅ ἐστιν σὰρξ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἐκ σπέρματος Δαυίδ, καὶ πόμα θέλω τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὅ ἐστιν ἀγάπη ἄφθαρτος (Rom. 7, 3).

Εὐχαριστίας καὶ προσευχῆς ἀπέχονται (haeretici) *διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὴν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν, ἣν τῇ χρηστότητι ὁ πατὴρ ἤγειρεν. Οἱ οὖν ἀντιλέγοντες τῇ δωρεᾷ τοῦ θεοῦ συζητοῦντες ἀποθνήσκουσιν. Συνέφερεν δὲ αὐτοῖς ἀγαπᾶν, ἵνα καὶ ἀναστῶσιν* (Smyrn. 7, 1).

Ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω, ἡ ὑπὸ ἐπίσκοπον οὖσα ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ . . . Οὐκ ἐξόν ἐστιν χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν οὔτε ἀγάπην ποιεῖν (Smyrn. 8).

ristia uti; una enim est caro domini nostri Iesu Christi et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare sicut unus episcopus cum presbyterio et diaconis, conservis meis; ut, quod faciatis, secundum deum faciatis.

Non delector alimento corruptibili neque voluptatibus huius mundi. Panem dei volo, qui est caro Iesu Christi, qui ex semine David factus est, et potum volo sanguinem ipsius, qui est caritas incorruptibilis.

Eucharistia et oratione abstinent, eo quod eucharistiam carnem esse salvatoris nostri Iesu Christi negant, quae pro peccatis nostris passa est quamque pater benignitate sua resuscitavit. Qui ergo contradicunt dono dei, altercantes moriuntur. Melius autem esset illis diligere, ut et resurgerent.

Valida eucharistia habeatur ea, quae sub episcopo peragitur vel sub eo, cui ipse concesserit . . . Non licet sine episcopo neque baptizare neque agapen celebrare.

4. Iustinus martyr.

Καὶ ἡ τῆς σεμιδάλεως δὲ προσφορά, ὦ ἄνδρες, ἔλεγον, ἣ ὑπὲρ τῶν καθαριζομένων ἀπὸ τῆς λέπρας προσφέρεσθαι παραδοθεῖσα τύπος ἦν τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, ὃν εἰς ἀνάμνησιν τοῦ πάθους, οὗ ἔπαθεν ὑπὲρ τῶν καθαιρομένων τὰς ψυχὰς ἀπὸ πάσης πονηρίας ἀνθρώπων, Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ κύριος ἡμῶν παρέδωκε ποιεῖν, ἵνα ἅμα τε εὐχαριστῶμεν τῷ θεῷ ὑπέρ τε τοῦ τὸν κόσμον ἐκτικέναι σὺν πᾶσι τοῖς ἐν αὐτῷ διὰ τὸν ἄνθρωπον καὶ ὑπὲρ τοῦ ἀπὸ τῆς κακίας, ἐν ᾗ γεγόναμεν, ἠλευθερωκέναι ἡμᾶς, καὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας καταλελυκέναι τελείαν κατάλυσιν διὰ τοῦ παθητοῦ γινομένου κατὰ τὴν βουλὴν αὐτοῦ. Ὅθεν περὶ μὲν τῶν ὑφ' ὑμῶν τότε προσφερομένων θυσιῶν ὁ θεός, ὡς προέφην, διὰ Μαλαχίου, ἑνὸς τῶν δώδεκα· „Οὐκ ἔστι θέλημά μου ἐν ὑμῖν, λέγει κύριος, καὶ τὰς θυσίας ὑμῶν οὐ προσδέξομαι (Mal. 1, 10—11)...“ *Περὶ δὲ τῶν ἐν παντὶ τόπῳ ὑφ' ἡμῶν τῶν ἐθνῶν προσφερομένων αὐτῷ θυσιῶν, τουτέστι τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας καὶ τοῦ ποτηρίου ὁμοίως τῆς εὐχαριστίας, προλέγει τότε, εἰπὼν καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ δοξάζειν ἡμᾶς, ὑμᾶς δὲ βεβηλοῦν* (dial. 41).

Similae quoque oblatio, viri, inquii, pro iis, qui lepra purgabantur, praescripta, figura erat panis eucharistiae, quem dominus noster Iesus Christus in memoriam passionis pro his, qui omni pravitate purgantur, susceptae fieri iussit, ut et simul gratias ageremus deo, tum quod mundum et omnia, quae in eo sunt, propter hominem creavit, tum quod nos nequitia, in qua fuimus, liberavit et principatus potestatesque funditus profligavit per eum, qui voluntate eius passioni factus est obnoxius. Inde de sacrificiis, quae tunc a vobis offerebantur, sic deus, ut iam dixi, per Malachiam, unum ex duodecim, loquitur: *Non est voluntas mea in vobis, dicit dominus, neque sacrificia suscipiam . . .* De iis autem, quae in omni loco a nobis gentibus offeruntur ei, sacrificiis, hoc est, de pane eucharistiae et de calice similiter eucharistiae, iam tum praedicit, illud etiam addens, nomen suum a nobis glorificari, a vobis autem profanari.

(*De eadem prophetia Malachiae alio loco ita disserit:*) *Καὶ μέχρι νῦν φιλονεικοῦντες λέγετε, ὅτι τὰς μὲν ἐν Ἱερουσαλὴμ ἐπὶ τῶν ἐκεῖ τότε οἰκούντων Ἰσραηλιτῶν καλουμένων θυσίας οὐ προσδέχεται ὁ θεός, τὰς δὲ διὰ τῶν ἐν τῇ διασπορᾷ τότε δὴ ὄντων ἀπὸ τοῦ γένους ἐκείνου ἀνθρώπων εὐχὰς προσίεσθαι αὐτὸν εἰρηκέναι καὶ τὰς εὐχὰς αὐτῶν θυσίας καλεῖν. Ὅτι μὲν οὖν καὶ εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι ὑπὸ τῶν ἀξίων γινόμεναι τέλειαι μόναι καὶ εὐαρεστοί εἰσι τῷ θεῷ θυσίαι, καὶ αὐτός φημι. Ταῦτα γὰρ μόνα καὶ χριστιανοὶ παρέλαβον ποιεῖν, καὶ ἐπ' ἀναμνήσει δὲ τῆς τροφῆς αὐτῶν ξηρᾶς καὶ ὑργᾶς, ἐν ᾗ καὶ τοῦ πάθους, ὃ πέπονθε δι' αὐτοὺς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, μέμνηται* (dial. 117).

Ac vos quidem hactenus contentionis studio dicitis, deum sacrificia Hierosolymis ab his, qui tunc ibi Israelitae dicti habitabant, oblata non accipere, eorum autem preces, qui tunc ex illo genere in dispersione erant, gratas sibi esse dixisse atque illorum preces sacrificia vocare. Equidem preces et gratiarum actiones, quae a dignis peraguntur, sola esse perfecta et deo accepta sacrificia et ipse pronuntio. Haec enim christiani quoque sola peragere didicerunt, etiam in recordatione alimoniae suae siccae et liquidae, qua etiam passionis, quam filius dei propter eos pertulit, recordantur.

5. Irenaeus.

Sed et suis discipulis dans consilium, primitias deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit et gratias egit dicens: Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi testamenti novam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens in universo mundo offert deo, ei, qui alimenta nobis praestat, primitias suorum munerum in novo testamento, de quo in duodecim prophetis Malachias sic praesignificavit . . . (adv. haer. IV 17, 5).

Quomodo autem constabit eis, eum panem in quo gratiae

actae sint, corpus esse domini sui et calicem sanguinis eius, si non ipsum fabricatoris mundi filium dicant, id est verbum eius, per quod lignum fructificat et defluunt fontes et terra dat primum quidem fenum, post deinde spicam, deinde plenum triticum in spica (adv. h. IV 18, 4).

Πῶς[1] *τὴν σάρκα λέγουσιν εἰς φθορὰν χωρεῖν καὶ μὴ μετέχειν τῆς ζωῆς τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος τοῦ κυρίου καὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ τρεφομένην; Ἢ τὴν γνώμην οὖν ἀλλαξάτωσαν ἢ τὸ προφέρειν τὰ εἰρημένα παραιτησάσθωσαν. Ἡμῖν δὲ σύμφωνος τῇ γνώμῃ ἡ εὐχαριστία, καὶ ἡ εὐχάριστία βεβαιοῖ τὴν γνώμην. Προσφέρομεν αὐτῷ τὰ ἴδια ἐμμελῶς κοινωνίαν καὶ αἴνεσιν* (corr. *ἕνωσιν*) *καταγγέλλοντες* [*καὶ ὁμολογοῦντες*] *σαρκὸς καὶ πνεύματος* [*ἕγερσιν*][2]. *Ὡς γὰρ ὁ ἀπὸ τῆς γῆς ἄρτος προσλαβόμενος τὴν ἐπίκλησιν τοῦ θεοῦ οὐκέτι κοινὸς ἄρτος ἐστὶν ἀλλ' εὐχαριστία, ἐκ δύο πραγμάτων συνεστηκυῖα, ἐπιγείου τε καὶ οὐρανίου, οὕτως καὶ τὰ σώματα ἡμῶν μετάλαμβάνοντα τῆς εὐχαριστίας μηκέτι εἶναι φθαρτὰ τὴν ἐλπίδα τῆς εἰς αἰῶνα ἀναστάσεως ἔχοντα*[3] (adv. haer. IV 18, 5).

Quomodo autem rursus dicunt, carnem in corruptionem devenire et non percipere vitam, quae corpore domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent aut abstineant offerendo, quae dicta sunt. Nostra autem consonans est sententia eucharistiae, et eucharistia rursus confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei, quae sunt eius, congruenter communicationem et unitatem praedicantes carnis et spiritus. Quemadmodum enim qui est a terra panis percipiens invocationem dei iam non communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena et caelesti, sic et corpora nostra percipientia eucharistiam iam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia.

Ἐπειδὴ μέλη αὐτοῦ ἐσμεν καὶ διὰ τῆς κτίσεως τρεφόμεθα, τὴν

Et quoniam membra eius sumus et per creaturam nutrimur,

[1] Textus graecus servatus est in Sacris Parallelis Iohannis Damasceni, apud Holl, Fragmente vornicänischer Kirchenväter aus den Sacra Parallela, Lips. 1899 (Texte und Untersuch., N. F. V 2), p. 61. [2] De hisce variantibus cfr. Struckmann, Die Gegenwart Christi, 1905, 66 sqq. [3] De sensu huius loci vide Struckmann l. l. 74—78.

δὲ κτίσιν αὐτὸς ἡμῖν παρέχει, τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλων καὶ βρέχων, καθὼς βούλεται, τὸ ἀπὸ τῆς κτίσεως ποτήριον αἷμα ἴδιον ὡμολόγησεν, ἐξ οὗ δεύσει τὸ ἡμέτερον αἷμα, καὶ τὸν ἀπὸ τῆς κτίσεως ἄρτον ἴδιον σῶμα διεβεβαιώσατο, ἀφ' οὗ τὰ ἡμέτερα αὔξει σώματα (2). — Ὁπότε οὖν καὶ τὸ κεκραμένον ποτήριον καὶ ὁ γεγονὼς ἄρτος ἐπιδέχεται τὸν λόγον τοῦ θεοῦ καὶ γίνεται εὐχαριστία, σῶμα Χριστοῦ, ἐκ τούτων τε αὔξει καὶ συνέστηκεν ἡ τῆς σαρκὸς ἡμῶν ὑπόστασις, πῶς δεκτικὴν μὴ εἶναι τὴν σάρκα λέγουσι τῆς δωρεᾶς τοῦ θεοῦ, ἥτις ἐστὶ ζωὴ αἰώνιος, τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ κυρίου τρεφομένην καὶ μέλος αὐτοῦ ὑπάρχουσαν (adv. haer. V 2, 2—3, apud Holl l. l. 683).

creaturam autem ipse nobis praestat solem suum oriri faciens et pluens quemadmodum vult, eum calicem, qui est ⟨a⟩ creatura, suum sanguinem, qui effusus est, ex quo auget nostrum sanguinem, et eum panem, qui est a creatura, suum corpus confirmavit, ex quo nostra auget corpora (2). — Quando ergo et mistus calix et factus panis percipit verbum dei et fit eucharistia sanguinis et corporis Christi, ex quibus augetur et consistit carnis nostrae substantia, quomodo carnem negant capacem esse donationis dei, quae est vita aeterna, quae sanguine et corpore Christi nutritur et membrum eius est?

6. Clemens Alexandrinus.

Φάγεσθέ μου, φησί, τὴν σάρκα καὶ πίεσθε τὸ αἷμα. Ταύτας ἡμῖν οἰκείας τροφὰς ὁ κύριος χορηγεῖ, καὶ σάρκα ὀρέγει καὶ αἷμα ἐκχεῖ, καὶ οὐδὲν εἰς αὔξησιν τοῖς παιδίοις ἐνδεῖ. Ὦ τοῦ παραδόξου μυστηρίου· Ἀποδύσασθαι ἡμῖν τὴν παλαιὰν καὶ σαρκικὴν ἐγκελεύεται φθοράν, ὥσπερ καὶ τὴν παλαιὰν τροφήν, καινῆς δὲ ἄλλης τῆς Χριστοῦ διαίτης μεταλαμβάνοντας, ἐκεῖνον, εἰ δυνατόν, ἀναλαμβά-

Comedite, inquit, carnem meam et bibite sanguinem. Haec convenientia alimenta nobis subpeditat dominus, et carnem praebet et effundit sanguinem, et ad incrementum nihil deest infantulis. O admirabile mysterium! Veterem et carnalem nos iubet exuere corruptionem, quemadmodum et vetus nutrimentum; alterius autem novae Christi diaetae effectos parti-

νοντας ἐν ἑαυτοῖς ἀποτίθεσθαι καὶ τὸν σωτῆρα ἐνστερνίσασθαι, ἵνα καταρτίσωμεν τῆς σαρκὸς ἡμῶν τὰ πάθη. Ἀλλ' οὐ ταύτῃ νοεῖν ἐθέλεις, κοινότερον δὲ ἴσως. Ἄκουε καὶ ταύτῃ· Σάρκα ἡμῖν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀλληγορεῖ· καὶ γὰρ ὑπ' αὐτοῦ δεδημιούργηται ἡ σάρξ. Αἷμα ἡμῖν τὸν λόγον αἰνίττεται· καὶ γὰρ ὡς αἷμα πλούσιον ὁ λόγος ἐπικέχυται τῷ βίῳ· ἡ κρᾶσις δὲ ἡ ἀμφοῖν ὁ κύριος, ἡ τροφὴ τῶν νηπίων, ὁ κύριος, πνεῦμα καὶ λόγος (paed. I 6, Migne p. gr. 8, 301).

Διττὸν δὲ τὸ αἷμα τοῦ κυρίου· τὸ μὲν γάρ ἐστιν αὐτοῦ σαρκικόν, ᾧ τῆς φθορᾶς λελυτρώμεθα, τὸ δὲ πνευματικόν, τουτέστιν ᾧ κεχρίσμεθα. Καὶ τοῦτ' ἔστι πιεῖν τὸ αἷμα τοῦ Ἰησοῦ, τῆς κυριακῆς μεταλαβεῖν ἀφθαρσίας· ἰσχὺς δὲ τοῦ λόγου τὸ πνεῦμα, ὡς αἷμα σαρκός. Ἀναλόγως τοίνυν κίρναται ὁ μὲν οἶνος τῷ ὕδατι, τῷ δὲ ἀνθρώπῳ τὸ πνεῦμα· καὶ τὸ μὲν εἰς πίστιν εὐωχεῖ, τὸ κρᾶμα, τὸ δὲ εἰς ἀφθαρσίαν ὁδηγεῖ, τὸ πνεῦμα· ἡ δὲ ἀμφοῖν αὖθις κρᾶσις, ποτοῦ τε καὶ λόγου, εὐχαριστία κέκληται, χάρις ἐπαινουμένη καὶ καλή. Ἧς οἱ κατὰ πίστιν μεταλαμβάνοντες ἁγιάζονται καὶ σῶμα καὶ ψυχήν, τὸ θεῖον κρᾶμα, cipes, illum, si fieri possit, recipientes in nobis ipsis reponere, et servatorem intra pectus condere, ut carnis nostrae adfectus componamus. At non vis sic intellegere, sed fortasse communius. Hoc quoque audias. Carnem nobis allegorice sanctus significat spiritus; ab ipso enim caro fabricata est. Sanguis verbum nobis designat; tamquam enim dives sanguis verbum vitae infusum est. Amborum autem temperatura est dominus, alimentum infantium, dominus, qui est spiritus et verbum.

Duplex est autem sanguis domini: alter enim est carnalis, quo redempti sumus ab interitu, alter spiritualis, quo scilicet uncti sumus. Et hoc est bibere Iesu sanguinem, nempe fieri participem incorruptionis domini. Verbi enim virtus est spiritus, quemadmodum sanguis carnis. Unde quomodo vinum aquae, sic homini spiritus admiscetur. Ac temperatum quidem vinum fidem convivis praebet, spiritus autem deducit ad incorruptionem; amborum autem temperatura, potus scilicet et verbi, dicitur eucharistia, laudabilis et praeclara gratia. Cuius qui per fidem sunt participes, sanctificantur et cor-

τὸν ἄθρωπον, τοῦ πατρικοῦ βουλήματος πνεύματι καὶ λόγῳ συγκίρναντος μυστικῶς· καὶ γὰρ ὡς ἀληθῶς μὲν τὸ πνεῦμα ᾠκείωται τῇ ἀπ' αὐτοῦ φερομένῃ ψυχῇ, ἡ δὲ σάρξ τῷ λόγῳ, δι' ἣν „ὁ λόγος γέγονε σάρξ“ (paed. II 2; Migne p. gr. 8, 410 s.).

pore et anima; nam divinum temperamentum, hominem scilicet, divina voluntas spiritu et verbo mystice contemperat. Etenim revera spiritus animae, quae ab ipso fertur, coniungitur, caro autem verbo, propter quam *verbum caro factum est.*

7. Origenes.

Καὶ διὰ τοιαῦτα δὲ Κέλσος μέν, ὡς ἀγνοῶν θεόν, τὰ χαριστήρια δαίμοσιν ἀποδιδότω· ἡμεῖς δὲ τῷ τοῦ παντὸς δημιουργῷ εὐχαριστοῦντες καὶ τοὺς μετ' εὐχαριστίας καὶ εὐχῆς τῆς ἐπὶ τοῖς δοθεῖσι προσαγομένους ἄρτους ἐσθίομεν, σῶμα γενομένους διὰ τὴν εὐχὴν ἅγιόν τι καὶ ἁγιάζον τοὺς ὑγιοῦς προθέσεως αὐτῷ χρωμένους (c. Cels. VIII 33).

Celsus igitur ea de causa ut deum ignorans gratias daemonibus agat. Nos, qui huius universitatis conditori gratias agimus, cum precibus et gratiarum actione oblatos comedimus panes, qui propter orationem fiunt corpus quoddam sanctum, quod sano proposito manducantibus sanctitatem largitur.

Ἐὰν δὲ ἀναβῇς μετ' αὐτοῦ, ἵνα ἑορτάσῃς τὸ πάσχα, δίδωσί σοι τὸ ποτήριον τῆς διαθήκης τῆς καινῆς, δίδωσί σοι καὶ τὸν ἄρτον τῆς εὐλογίας, τὸ σῶμα αὐτοῦ καὶ τὸ αἷμα χαρίζεται (hom. 19 in Lev. 18, 13; ed. Klostermann p. 169).

Si autem adscenderis cum eo ad celebrandum pascha, dat tibi calicem novi testamenti, dat tibi etiam panem benedictionis, corpus suum et sanguinem largitur.

Οὕτω δὲ οὔτε ἐκ τοῦ μὴ φαγεῖν παρ' αὐτὸ τὸ μὴ φαγεῖν ἀπὸ τοῦ ἁγιασθέντος λόγῳ θεοῦ καὶ ἐντεύξει ἄρτου ὑστερούμεθα ἀγαθοῦ τινος· οὔτε ἐκ τοῦ φαγεῖν περισσεύομεν ἀγαθῷ τινι· τὸ γὰρ

Sic autem neque ullo bono privamur ex eo, quod non comedimus de pane per verbum dei et orationem consecrato, neque ex eo, quod comedimus, ullo bono abundamus; nam causa

αἴτιον τῆς ὑστερήσεως ἡ κακία ἐστὶ καὶ τὰ ἁμαρτήματα, καὶ τὸ αἴτιον τῆς περισσεύσεως ἡ δικαιοσύνη ἐστὶ καὶ τὰ κατορθώματα, ὡς τοιοῦτο εἶναι τὸ παρὰ τῷ Παύλῳ λεγόμενον ἐν τῷ· „Οὔτε ἐὰν φάγωμεν, περισσεύομεν, οὔτε ἐὰν μὴ φάγωμεν, ὑστερούμεθα“ (1 Cor. 8, 8). *Εἰ δὲ „πᾶν τὸ εἰσπορευόμενον εἰς τὸ στόμα εἰς κοιλίαν χωρεῖ καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται“* (Matth. 15, 17), *καὶ τὸ ἁγιαζόμενον βρῶμα διὰ λόγου θεοῦ καὶ ἐντεύξεως κατ' αὐτὸ μὲν τὸ ὑλικὸν εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται, κατὰ δὲ τὴν ἐπιγενομένην αὐτῷ εὐχήν, κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, ὠφέλιμον γίνεται καὶ τῆς τοῦ νοῦ αἴτιον διαβλέψεως ὁρῶντος ἐπὶ τὸ ὠφελοῦν. Καὶ οὐχ ἡ ὕλη τοῦ ἄρτου, ἀλλ' ὁ ἐπ' αὐτῷ εἰρημένος λόγος ἐστὶν ὁ ὠφελῶν τὸν μὴ ἀναξίως τοῦ κυρίου ἐσθίοντα αὐτόν. Καὶ ταῦτα μὲν περὶ τοῦ τυπικοῦ καὶ συμβολικοῦ σώματος* (in Matth. tom. XI 14; de la Rue III 499).

privationis malitia et peccata sunt, et causa abundantiae iustitia et recte facta sunt, ut Paulus dicit: *Neque enim si manducaverimus, abundabimus, neque si non manducaverimus, deficiemus.* Quodsi id *omne, quod intrat in os, in ventrem vadit et in secessum emittitur,* etiam cibus ipse per verbum dei et orationem consecratus secundum illud quidem ipsum, quod materia constat, in ventrem abit et in secessum eicitur, secundum orationem autem, quae illi accessit, iuxta proportionem fidei, utilis fit efficitque, ut perspicax fiat mens spectans id, quod prodest. Et non panis materia, sed super eum prolata oratio eum iuvat, qui non indigne domino eum comedit. Sed de mystico atque symbolico corpore hactenus.

Ὥσπερ ὁ ἀναξίως ἐσθίων τὸν ἄρτον τοῦ κυρίου ἢ πίνων αὐτοῦ τὸ ποτήριον εἰς κρῖμα ἐσθίει καὶ πίνει, τῆς μιᾶς ἐν τῷ ἄρτῳ κρείττονος δυνάμεως καὶ ἐν τῷ ποτηρίῳ ὑποκειμένῃ μὲν διαθέσει κρείττονι ἐνεργαζομένης τὸ βέλτιον,

Sicut is, qui indigne panem domini manducat vel calicem eius bibit, in iudicium manducat et bibit, cum eadem maior vis, quae est in pane et in calice, in bono animo bona, in malo autem mala operetur, ita buc-

χείρονι δὲ ἐμποιούσης τὸ κρῖμα· οὕτω τὸ ἀπὸ τοῦ Ἰησοῦ ψωμίον ὁμογενὲς ἦν τῷ δοθέντι καὶ τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις ἐν τῷ „Λάβετε φάγετε“, ἀλλ' ἐκείνοις μὲν εἰς σωτηρίαν, τῷ δὲ Ἰούδᾳ εἰς κρῖμα, ὡς μετὰ τὸ ψωμίον εἰσεληλυθέναι εἰς αὐτὸν τὸν σατανᾶν. Νοείσθω δὲ ὁ ἄρτος καὶ τὸ ποτήριον[1] *τοῖς μὲν ἁπλουστέροις κατὰ τὴν κοινοτέραν περὶ τῆς εὐχαριστίας ἔκδοχήν, τοῖς δὲ βαθύτερον ἀκούειν μεμαθηκόσιν κατὰ τὴν θειοτέραν καὶ περὶ τοῦ τροφίμου τῆς ἀληθείας λόγου ἐπαγγελίαν* (in Ioh. tom. XIII 30; ed. Preuschen p. 468).

cella a Iesu [Iudae] data eiusdem generis erat atque id, quod ceteris apostolis dedit dicens: *Accipite et manducate*, sed hisce fuit saluti, Iudae autem in iudicium, ita ut post buccellam satanas in eum introiret. Intelleguntur autem panis et calix a simplicioribus secundum communem sensum de eucharistia, ab iis autem, qui altius cognoscere didicerunt, secundum diviniorem sensum de nutriente veritate verbi.

Antea in aenigmate fuit baptismus in nube et in mari, nunc autem in specie regeneratio est in aqua et in spiritu sancto. Tunc in aenigmate erat manna cibus, nunc autem in specie caro verbi dei est verus cibus, sicut et ipse dicit, quia *caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus* (in Num. hom. 7, 2).

Communicare non times corpus Christi accedens ad eucharistiam quasi mundus et purus, quasi nihil in te sit indignum, et in his omnibus putas, quod effugias iudicium dei? Non recordaris illud, quod scriptum est, quia *propterea in vobis infirmi et aegri et dormiunt multi* (1 Cor. 11, 30)? Quare multi infirmi? quoniam non se ipsos diiudicant neque se ipsos examinant nec intellegunt, quid est communicare ecclesiae vel quid est accedere ad tanta et tam eximia sacramenta (in ps. 37 hom. 2, 6; de la Rue II 688).

[1] sc. eucharistiae; cfr. Struckmann, Die reale Gegenwart 193. Doctrinam Origenes de eucharistia ipse adumbravi in libro: „Eucharistie und Busssakrament“ 1908, 7—10.

Nostis, qui divinis mysteriis interesse consuestis, quomodo, cum suscipitis corpus domini, cum omni cautela et veneratione servatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis et recte creditis, si quid inde per neglegentiam decidat (in Exod. hom. 13, 3).

Panis iste, quem deus verbum corpus suum esse fatetur, verbum est nutritorium animarum, verbum de deo verbo procedens . . . . Non enim panem illum visibilem, quem tenebat in manibus, corpus suum dicebat deus verbum, sed verbum, in cuius mysterio fuerat panis ille frangendus. Nec potum illum visibilem sanguinem suum dicebat, sed verbum, in cuius mysterio potus ille fuerat effundendus. Nam corpus dei verbi aut sanguis quid aliud esse potest, nisi verbum, quod nutrit, et verbum, quod laetificat cor (in Matth. series 85).

Bibere autem dicimur sanguinem Christi non solum sacramentorum ritu, sed et cum sermones eius recipimus, in quibus vita consistit (in Num. hom. 16, 9; cfr. etiam 23, 6).

8. Dionysius ep. Corinthius.

Εὐχαριστίας γὰρ ἐπακούσαντα καὶ συνεπιφθεγξάμενον τὸ ἀμὴν καὶ τραπέζῃ παραστάντα καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα καὶ ταύτην καταδεξάμενον καὶ τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου ἡμῶν μετασχόντα ἱκανῷ χρόνῳ, οὐκ ἂν ἐξ ὑπαρχῆς ἀνασκευάζειν ἔτι τολμήσαιμι[1] (Eus. h. e. VII 9, 4).

Qui enim gratiarum actionem audivit et cum ceteris amen respondit, qui ad mensam adstans manus ad accipiendum sacrum cibum extendit et corporis sanguinisque domini nostri particeps factus est aliquantum temporis, eum rursus restituere non iam audeam.

9. Hippolytus.

Verba saepe laudata (in Prov. 9, 2): *τὸ τίμιον καὶ ἄχραντον αὐτοῦ σῶμα καὶ αἷμα, ἅπερ ἐν τῇ μυστικῇ καὶ θείᾳ τραπέζῃ καθ'*

[1] Agitur de rebaptismate hominis ab haereticis baptizati, qui iam longius per tempus sacris christianorum interfuerat.

ἑκάστην ἐπιτελοῦνται θυόμενα εἰς ἀνάμνησιν τῆς ἀειμνήστου καὶ πρώτης ἐκείνης τραπέζης τοῦ μυστικοῦ θείου δείπνου (Migne p. gr. 10, 628) vix Hippolyti sunt et in nova editione commentariorum Hippolyti, quam adparavit Achelis (Lips. 1897), non leguntur[1].

10. Tertullianus[2].

Similiter et de stationum diebus non putant plerique sacrificiorum orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore domini. Ergo devotum deo obsequium eucharistia resolvit an magis deo obligat? Nonne sollemnior erit statio tua, si et ad aram dei steteris? Accepto corpore domini et reservato utrumque salvum est, et participatio sacrificii et exsecutio officii (de orat. 19; ed. Wiss. p. 192).

Christus enim panis noster est, quia vita Christus et vitae panis. Ego sum, inquit, panis vitae, et paulo supra: Panis est sermo dei vivi, qui descendit de caelis; tunc, quod et corpus eius in pane censetur[3]: hoc est corpus meum. Itaque petendo panem cotidianum perpetuitatem postulamus in Christo et individuitatem a corpore eius (de orat. 6; ed. Wiss. p. 184 s.).

(De christiano homine idola fabricante ita habet:) Christianum ab idolis in ecclesiam venire . . . eas manus admovere corpori domini, quae daemoniis corpora conferunt. Nec hoc sufficit. Parum sit, si ab aliis manibus accipiant, quod contaminent, sed ipsae tradunt aliis, quod contaminaverunt. Adleguntur in ordinem ecclesiasticum artifices idolorum. Pro scelus! Semel Iudaei Christo manus intulerunt, isti cotidie corpus eius lacessunt. O manus praecidendae! Viderint iam, an per similitudinem dictum sit: *Si te manus tua scandalizat, amputa eam.* Quae magis amputandae, quam in quibus domini corpus scandalizatur? (de idol. 7; ed. Wiss. 36).

[1] Locus genuinus habetur a Bardenhewer, Gesch. der altkirchl. Literatur II (1903) 529; aliter iudicat Struckmann l. l. 219. [2] Leimbach, Beiträge zur Abendmahlslehre Tertullians 1874; Harnack, Lehrbuch der Dogmengesch. I[3] 436. [3] De sensu huius locutionis cfr. Leimbach l. l. 41—51. Alio loco (adv. Marc. I 14) apud Tertullianum legitur: 'panem, quo ipsum corpus suum repraesentat'.

Scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut et anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu inluminetur; caro corpore et sanguine Christi vescitur, ut et anima de deo saginetur (de res. carn. 8; ed. Kroymann p. 36).

Professus itaque se concupiscentia concupisse edere pascha ut suum — indignum enim, ut quid alienum concupisceret deus — acceptum panem et distributum discipulis corpus suum illum fecit 'hoc est corpus meum' dicendo, id est 'figura corporis mei'. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Ceterum vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset . . . Sic et in calicis mentione testamentum constituens sanguine suo obsignatum substantiam corporis confirmavit. Nullius enim corporis sanguis potest esse nisi carnis. Nam et si qua corporis qualitas non carnea obponetur nobis, certe sanguinem nisi carnea non habebit. Ita consistet et probatio corporis de testimonio carnis, probatio carnis de testimonio sanguinis. Ut autem et sanguinis veterem figuram in vino recognoscas, aderit Esaias (63, 1) . . . Multo manifestius Genesis in benedictione Iudae, ex cuius tribu carnis census Christi processurus, iam tunc Christum in Iuda deliniabat: *Lavabit*, inquit (Gen. 49, 11), *in vino stolam suam et in sanguine uvae amictum suum*, stolam et amictum carnem demonstrans et vinum sanguinem. Ita et nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguinem figuravit (adv. Marc. IV 40; ed. Kroymann p. 559s.).

11. Cyprianus.

Et quomodo dicimus 'pater noster', quia intellegentium et credentium pater est, sic et panem nostrum vocamus, quia Christus eorum, qui corpus eius contingimus, panis est. Hunc autem panem dari nobis cotidie postulamus, ne, qui in Christo sumus et eucharistiam eius cotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti et communicantes a caelesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur (de dom. orat. 18; ed. Hartel I 280).

Admonitos autem nos scias, ut in calice offerendo dominica traditio servetur neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis dominus prior fecit, ut calix, qui in commemoratione eius offertur, mixtus vino offeratur. Nam cum dicat Christus: *Ego sum vitis vera*, sanguis Christi non aqua est utique, sed vinum; nec potest videri sanguis eius, quo redempti et vivificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quod Christi sanguis ostenditur, qui scripturarum omnium sacramento ac testimonio praedicetur (ep. 63, 2).

Qua in parte invenimus calicem mixtum fuisse, quem dominus obtulit, et vinum fuisse, quod sanguinem dixit. Unde adparet, sanguinem Christi non offerri, si desit vinum calici, nec sacrificium dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio et sacrificium nostrum responderit passioni (ep. 63, 9).

Miror satis, unde hoc usurpatum sit, ut contra evangelicam et apostolicam disciplinam quibusdam in locis aqua offeratur in dominico calice, quae sola Christi sanguinem non possit exprimere (ep. 63, 11).

GTU Library
BV185 .M6 G
/Monumenta eucharistica et liturgica vet
3 2400 00115 4883

DATE DUE

GAYLORD PRINTED IN U.S.A.

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500

All items are subject to recall.

Von Sr. Heiligkeit dem Papste Pius X. erhielt der Verfasser nach Überreichung der fünf ersten Hefte des Florilegiums am 8. Februar 1906 ein huldvolles Schreiben, dessen Anfang lautet:

„Geliebter Sohn, Gruss und Apostolischen Segen!

Schon vor einiger Zeit waren Uns Dein Fleiss und Deine Gelehrsamkeit von kundiger Seite warm empfohlen worden. Aber mehr empfehlen Dich Deine Verdienste, wie Wir jetzt zu Unserer Freude aus Deinen durch Wissen und gesundes Urteil hervorragenden Schriften erkennen. Da es Uns nun sehr am Herzen liegt, Unsere geliebten Söhne in Christo, zumal wenn sie in den heiligen Weihen stehen, zu Arbeiten für die Kirche und für die Wissenschaft anzuregen, so sagen Wir Dir nicht nur für das übermittelte Geschenk Dank, sondern wünschen Dir auch von ganzem Herzen Glück."

Urteile der Fachpresse über das sechste Heft des Florilegiums.

Der Herausgeber hat die vier Pariser Handschriften des Apologetikums, darunter die wichtige nr. 1623 aus dem 10. Jahrh., und die von Montpellier aus dem 11. Jahrh. aufs neue verglichen. Er prüfte ferner mit Sorgfalt die Lesarten der alten, aber jetzt verlorenen, eine besondere Familie repräsentierenden Handschrift von Fulda. Wir erhalten die Schrift so in einer neuen, und wie man mit Grund beifügen darf, tüchtigen Rezension. Ein ziemlich reicher Kommentar dient zu ihrer Erläuterung. Die Ausgabe ist mit Freude und Dank zu begrüssen, um so mehr, als das Apologetikum in der Wiener Kirchenväterausgabe immer noch aussteht (Fr. Xav. Funk in der Deutschen Lit. Zeitung 8. Sept. 1906).

Neben einem massvollen Apparat, der die Lesarten des Textes in den wichtigsten anderen Hss. und in den bedeutenderen Ausgaben bietet, hat Rauschen sein Buch mit reichen erklärenden Anmerkungen ausgestattet, welche recht geeignet sind, entsprechend dem Zweck seiner Sammlung auch alle jene unter den Studierenden der Theologie oder selbst unter den geistlichen und gebildeten Laien, welchen grössere Ausgaben des Afrikaners nicht zur Verfügung stehen, in die für die altchristliche Kirchen- und Kulturgeschichte so bedeutsame Apologie Tertullians einzuführen. Die Ausgabe kann als eine wertvolle Bereicherung der Ausgaben der tertullianischen Werke betrachtet werden (P. Feder S. J. in der Theol. Revue 1907, 13 f.).

C'est la meilleure édition, que nous ayons en ce moment, non seulement à cause des notes, substantielles et bien choisies, mais surtout parce que l'éditeur a admis dans son texte un grand nombre des variantes, d'ordinaire négligées, du codex Fuldensis (Callewaert in der Revue d'hist. ecclés. 1907, 402).

De ces collations et de ces études est sorti un texte de l'Apologétique absolument différent de celui, que nous avions jusqu'ici. Que de difficultés ont disparu! Que de passages obscurs sont devenus clairs! Je n'hésite pas à déclarer que le texte de M. Rauschen est presque toujours supérieur à celui d'Oehler, à ceux des anciennes éditions, et c'est un grand service que le nouvel éditeur nous a rendu (J. P. Waltzing in Le Musée Belge 1907, 65).

Bonn, im Januar 1909.

Verlag von Peter Hanstein.

In demselben Verlage erschien:

Lehrbuch

der

katholischen Religion

für die oberen Klassen höherer Lehranstalten

von

Gerhard Rauschen

Dr. theol. et phil., Religions- und Oberlehrer am Kgl. Gymnasium und a. o. Professor der Theologie an der Universität zu Bonn.

1. Teil: **Kirchengeschichte.** Dritte vermehrte und verbesserte Auflage (5.—8. Tausend), VII u. 152 S. mit einer Karte, geb. ℳ 1.90.
2. Teil: **Grundriß der Apologetik** (für Untersekunda), VII u. 84 S., geb. ℳ 1.50.
3. Teil: **Glaubenslehre** (3.—4. Tausend), VII u. 120 S., geb. ℳ 1.90.
4. Teil: **Sittenlehre,** VII u. 95 S., geb. ℳ 1.60.

Ferner: **Apologetik als Anhang zur Glaubenslehre** für die Prima höherer Lehranstalten (3.—4. Tausend), 52 S., kart. ℳ 0.80.

Mit dem Erscheinen der Sittenlehre (Sept. 1908) ist Rauschens Lehrbuch vollständig geworden. Zuerst wurde im Herbst 1906 die Kirchengeschichte ausgegeben; sie liegt jetzt schon in dritter Auflage vor. Dann folgte im Herbst 1907 die Glaubenslehre und im Frühjahr 1908 der Grundriß der Apologetik für Untersekunda.

Auf dem Konveniat der katholischen Religionslehrer Westdeutschlands zu Düsseldorf um Weihnachten 1906 wurde eine Kommission von sieben Herren gewählt, welche baldigst Grundsätze für ein neues Lehrbuch entwerfen und bei seiner Abfassung beratend und fördernd mitwirken sollte. Das vorliegende Lehrbuch ist nach den von dieser Kommission angenommenen Leitsätzen ausgearbeitet worden; es hat ferner vor seiner Veröffentlichung der Kommission vorgelegen und ist nach ihren Wünschen an verschiedenen Stellen umgestaltet worden. Das Lehrbuch von Rauschen ist bis jetzt das einzige, dessen Verfasser in Fühlung mit jener Kommission gearbeitet und ihre ausdrückliche Billigung erhalten hat.

Das Lehrbuch zeichnet sich durch einfache, leicht verständliche Darstellung, wissenschaftliche Genauigkeit und Rücksichtnahme auf moderne Verhältnisse aus. Durch die Anwendung dreifachen Druckes wird die Auswahl des Wichtigsten sehr erleichtert; die kleingedruckten Abschnitte sollen mehr zur Erklärung und Lektüre als zum Memorieren dienen. Das Lernen nach dem Buche wird auch dadurch sehr erleichtert, daß es sich überall in seinen Definitionen und Einteilungen möglichst an den Katechismus anschließt.